Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

# Epitome Fabii Quintiliani nuper summo & ingenio & diligentia collecta, qua possit studiosa iuve[n]tus, quidquid est Rhetoricae institutionis apud ipsum authorem, breviore compendio & multo facilius adsequi

https://hdl.handle.net/1874/421283

# EPITOME FABII QVINtiliani nuper ſummo & ingenio & diligẽtia collecta, qua poſſit ſtudioſa iuuẽtus, quicquid eſt Rhetoricæ inſtitutionis apud ipſum authorem, breuiore compendio & multo facilius adſequi.

Authore Iona Philologo.

PARISIIS
Apud Simonem Colinæum.
1534

## INGENVO AC IVRIS CIVIlis prudentia ornatiſſimo Siberto à Louuēborch Iona Philologus S.

CVm ſuperiore anno ſtudioſam iuuētutē, quæ meæ fidei credebāt, rhetoricis literis inſtituerē: efflagitabāt aliquot amici ſedulo magis q̄ prudēter, vt quæ leuiore opera meis dictauerā ex Fabij libris oratorijs, ea publicæ vtilitati cōdonarē, emittereq; in manus hominū. Hoc amicorū cōſiliū cū parū mihi ꝓbaretur, ꝙ pleraq; obiter & nō magno iudicio in paucorū gratiā collecta ſcirē, rogaui deprecationis veniā. Illi autē nihilominus inſtabant: adeo vt hoc mihi faciendū fuerit, aut cū odio reluctādū amicorū voluntati. Diu itaq; ſolicitum me habuit cogitatio cum officij, tum pudoris, ac famæ priuatæ. ſi operā retractaſſem, quam illi tantopere deſiderare videbantur, verebar ne officio deeſſe voluiſſe viderer: ſi eiſdē obſecutus, quæ vellent, facerem, ne fama periclitaretur, commouebar: dum huic longior, illi breuior, alij obſcurus, quibuſdam fortaſſe mentem Fabij parum expreſſiſſe dicerer: præſertim cum nemo hodie aut aliena vertat, aut ſua edat, quin idem ſe multorum dedat cenſuræ, & quaſi taxandū propinet: ne illud addā, quòd nimia licentia in alterius aut ingenium aut induſtriam debacchandi inualuit. Nec aliud facilius eſt, q̄ cū ſua nō edāt, aliena temere reprehendere. Et quanuis hęc animum meū conturbarent: collegi tamen me, atq; ſic conſtitui, pudori famæq; potius cedere, q̄ non vel

cum nominis aliquo periculo publicũ iuuare cõmodum: ſatíſq; mihi relatũ eſſe vel præmij vel laudis, ſi aut grauem culpam apud doctos homines vitem: aut gratiam apud ſtudioſos, ad quos laboris mei fructum venire optabam, inijſſe videar. Cuius etiã mei me facti vel ideo non pœnitebit, quod alijs, ſi mea diſpliceant, meliora preſtandi occaſionẽ dederim. Interea me ſolabor ipſe, quod hunc laborem nõ fruſtra à me ſuſceptum ſperẽ, & ex eo gloriam nullam ſperauerim vnquam: tibi autem eruditiſſime Siberte qui & Rhetoricis literis, & Iurisprudentia es ornatiſſimus, hanc Fabij Epitomen paucis ſanè diebus à me collectam nominatim appendo, vt tuo patrocinio cõtra malorũ hominũ iniurias vtatur. Multæ enim mihi ac magnæ tecũ amoris beneuolentiæq; cauſæ intercedunt: moderata vitæ ratio, ingeniũ præſtãs, ſtudiorũ ac voluntatis ſimilitudo, quæ ad coniungendã amicitiæ neceſſitudinẽ plurimũ habet momẽti: tũ autẽ cãdor ille animi tui amãtiſſimus mei qui mutuo nos amore primũ cõiunxit, eũ deinde aſſidua familiaritas auctũ tua ſumma in me beneuolentia cõfirmauit. His tuis egregijs virtutibus accedit etiã parentũ ſplendor: quibus & reſpõdiſſe pulchrum, & ſuperaſſe, raræ fuerit felicitatis: quę omnia me impellũt, vt nõ poſſim nõ maximo amore cũ omni officio ac volũtate animũ tuũ cõplecti. Quãobrẽ hũc laborẽ, quẽ nomini tuo dico, hilari frõte quæſo ſuſcipias, pignus mei in te amoris, donec maiora, teq; digna magis, parturire liceat. Vale.

# INDEX DVPLICI NVMERO ORNATVS. PRIOR, FOLIVM: SEcundus, paginam denotat.

## A

A Abdicationum formæ duæ. fo. 35 pag. 1
A cauſis 17.1
A circunſtantia 17.1
A contrarijs 16.2
Actio procurationis malè geſtæ 35.2
Acyron 39.2
A diſſimilibus 16.2
Aduerſarij perſona quo modo tractanda 8.2
Admirabile genus 9.1
Aetas 15.1
A fictione 17.1
A finitione 15.2
Affectuum duæ ſpecies 24.2
Affectus 24.1
A genere 15.2
Agnominatio 55.1
Altercatio 27.2
ἀλληγορία, id eſt inuerſio 47.2
A maiori 17.1
A minore 17.1
Amplificatio quibus conſtet 42.2
Amphibologia uitanda 56.2
Amplificatio per incrementum 43.1
Amplificatio per ratiocinationem 43.1
ἀναστροφή 48.1
Analogia 18.2
Anceps genus 9.1
Animi cõiectura 31.1
ἀνοικονόμητον 41.2
Anticategoria 31.2
Antinomia 27.1
Antiphraſis 52.1
ἀντίθετον 55.2
ἀντίφρασις 48.1
ἀνθυπωφορὰ 56.1
Antonomaſia 47.1
A pari 17.1
Aperta narratio 10.2
Apophaſis 51.2
ἀπορία 50.2
Appoſita vel comparatiua arg. 17.1
ἀποσιώπησις 52.1
Apoſiopeſis quid 54.2

Apoſtrophe 12.1, & 51.2
Argumentum ex remotione 16.2
Argumenta 14.1
Argumenta ex iure ſimili 18.2
Argumenta q̃ ad perſonã referũtur 15.1
Argumentatio 12.1
Argumenta ex rebus ducta 15.2
Argumẽtorum pedes 65.2
ἀσχήματον 41.2
A ſimilibus 16.2
A ſpecie 15.2
ἀστεισμὸς 48.1
Atrocitas ex quibus creſcat 23.1
Auerſio 51.2
B
Beneuolentia vnde ducatur 8.1
Bonus altercator vitio iracũdię careat 28.1
βραχυλογία 42.1, & 54.2
Breuis narratio 10.2
C
Cauenda in narratione obſcuritas 10.2
Caſus 15.2
Cauſa principij 8.1
Cauſæ commendatio 23.2
Cauſarum genera 9.1
Celſi opinio de diſpoſitione argumentorum 30.2
Choreus 58.1
Color deformibus dãdus 6.1
Collocatio apta 58.2
Commonitio in fine narrationis 11.1
Communis contradictio 20.2
Commune exord. 9.2
Commutabile exordium 9.2
Communicatio 51.1
Compoſitio 66.2
Cõparatio quibus vijs ducatur 31.2
Conditionis diſtantia 15.2
Confeſſio 50.2
Confeſſio nonnunq̃ lachrymas mouet 11.2
Confeſſum ex vtraque parte 27.2
Confirmatio 14.1
Cõfirmandũ ſimplici

argumēto quod propoſuerimus 11.1
Congeries 43.2
Congregatio verborū idem ſignificātium 54.2
Coniugatū argumentum 17.1
Cōiūcta defenſio 30.2
Cōiuncti ſermonis ratio 41.1
Correctiōis ratio 56.1
Cōſiliū 28.2, & 32.2
Conſilium quid 29.1
Contrarium 54.2
Controuerſiæ figuratę 52.2
Credibilis narratio. 11.1
Credibilia 15.1
Creticus 59.2
Creticus initijs aptus 62.2
Cum de facto tantum quæritur 31.2
Cum de reo tantum quæritur 32.2
Cum de reo & facto quæritur 31.2

D

De accuſatore conſtituendo, 35.1
De altercatione 27.2
De āphibologia 38.2
De āplificatione 42.2
De cōpoſitione 56.1
De coniectura 31.1
De contrarijs legibus 37.1
De demōſtratiuo, qđ conſtat laude & vituperatione 4.1
De diſpoſitione ex libro ſeptimo 29.2
De diuiſione affectuū 24.1
Δείνωσις 42.1
De egreſſione 12.2
De exemplis 17.2
De exordio 7.2
Defenſio potentiſſima 34.2
Defenſio per tranſlationē criminis 34.2
De figuris verborum. 53.1
De figuris ſententiarum 49.2
De finitione 33.1
De generibus ſententiarum 44.1
De iudicio & conſilio 28.2
Demētiæ iudicia 35.1

Demonſtratiui generis numeri 65.1
Demoſthenes non dicax, ſed vrbanus fuit 26.2
De narratione 9.2
De numero 57.2
De ornatu 40.1
De paranda attentione 9.1
De partitione 13.1
De partibus cauſarum iudicialium 6.2
De pedibus clauſulæ lex 61.1
De peroratione 22.2
De perſpicuitate 39.2
Deprecatio culpæ 34.2
De præmijs 35.1
De probationum diuiſione 13.2
De propoſitione 12.2
De qualitate 34.1
De riſu 25.2
De ſyllogiſmo ſeu ratiocinatione 38.1
De ſuaſoria materia & proſopopœia 5.1
De ſtatu ex ſcripto & voluntate 35.2
De tropis 45.1
De vſu argumentorũ 18.2
Dicacitas 26.2
Dicta 26.1
Differentia inter figuram & tropũ 49.1
Differẽtia rhythmi & metri 57.2
Differens 16.1
Difficilius defendere quàm accuſare 19.2
Dignitas commendat periclitantem 23.2
Diſpoſitionis vtilitas 29.2
Diſpoſitio 29.2
Diuiſió 29.2
Diuiſio ornatus 40.1
Diuiſio ad probãdum & refellendum valet 16.2
Diuiſio amphibologiæ 38.2
Diuina teſtionia 18.2
Docilem facientia 9.1
Dubitatio 50.2
Duplex enthymematis elocutio 21.2
Duplex ſentẽtia 44.1
Duplex probatio 13.2
Duplex metus 25.1
Duplices leges 38.1

E

Educatio & diſciplina 15.1
εἰρωνεία, ideſt, diſſimulatio 51.2
Egreſſio quinq; orationis partibus non adnumeratur 12.2
Emendatio 50.2
Emphaſis 52.1, & 42.1
ἐνάργεια repræſentatio 42.1
Enthymema qd 44.2
Enumeratio 22.2
ἐπαγωγή.i. inductio. 16.2
ἐπεξεργασία 42.2
Epicheirema & ſyllogiſmus in quo differunt 22.1
Epicheirematos partes 21.2
Epiphonema 44.2
Epitheton, id eſt appoſitum 47.2
Error eorũ qui in laudationibus, vituperationibuſque, nullã dicebant eſſe cõtrouerſiã: eoq; nec confirmationẽ, nec confutationem 4.2
Error declamatorum 31.1
Ex adiunctis 16.2
Ex antecedẽtibus 15.2
Excurſio 12.1
Ex deorum oraculis. 18.2
Ex difficiliore 17.1
Exempli definitio. 17.2
Exẽpla quomodo refutentur 20.2
ἐξεργασία 42.2
Ex inſequẽtibus 15.2
Exordij partes 9.1
Exordiorũ vitia 9.2
Ex repugnãtibus 16.2

F

Facetum 26.2
Facetiæ 27.1
Facultas 15.2
Falſæ expoſitiões 11.2
Fantaſiæ 25.2
Figura quid dicatur 49.1
Figuræ vtilitas 49.2
Figurarum genera. 55.1
Finitio vitioſa 33.2
Finitio 15.2, & 33.1
Finitæ quæſtiones 2.2

Feliciſſimus ſermo. 56.2
Fortuna 15.2
Formæ partium epicheirematos variæ 22.1

G

Gradatio 54.2
Genus 15.1

H

Habitus corporis. 15.1
Hiſtoriæ contextus 64.2
Honeſtum genus 9.1
Humile genus 9.1
Hypallage 46.2
Hyperbaton 48.2, & 53.2
Hyperbole 48.1

I

Iambus 58.1
Incrementum 41.2
Inciſum 64.1
Inductio 17.2
Inductio in teſtiũ interrogatione plurimum valet 17.2
Infinitæ quæſtiones. 2.2
Initium Rhetorices. 1.2
Initiũ narrationis vnde faciendum, & finis 12.1
In iure dubio quid quęratur 27.2
In toto genere actionis quid ſpectandũ 20.2
Imminutio culpę 34.2
Inornatum 40.2
In quibus res contra nos erit, in his diſtinguenda genera cauſarum 11.2
In refutatione quid primũ ſpectandum 19.2
Inſtrumentum 15.2
Intentio 35.2
Interfatione diſtinguẽda narratio 11.1
Interrogationes figuratæ 50.2
Inuentio ſimplex quomodo tractãda 30.2
Iocus 26.2
Ironia 25.1, & 48.1
ἰσόκωλον 55.2
ἦθος 24.2
ἠθοποιΐα, vel μίμησις 52.1
Iudex quibus conci-

lietur 8.2
Iudicatorum refutatio 20.2
Iudicatio κρινόμενον 7.1
Iudicatio propria maxime 7.2
Iudicatio, ſtatus, continens, idem ſignificant 7.2
Iudicium 28.2
Iudicialis & concionalis 65.1
Iunctura membrorum inciſorumque. 57.1
Iunctura compoſitionis 57.1
Iuſiurandum 14.1

K

Κακόζηλον 41.2
Κακοσύνθετον 41.2
Κακόφατον 41.2
Κατάχρησις 39.2, & 47.1
Κόμματα 56.1
Κῶλα 56.1

L

Legis ratio 35.2
Leges pares collidun-tur primo modo. 27.1
Lex adulterij 17.2
Licentia 51.1
Lis de præmio 34.2
Lis de pœna 34.2
Litigatoris perſona quomodo tractanda 8.2
Locus 15.2
Loci a perſona 32.1
Loci argumentorum 15.1
Loci ſeu organa à quibus laus petitur 4.2
Loci coniecturales a perſona 32.1
μακρολογία 41.2

M

Malæ tractationis forma 35.1
Materia rhetorices 1.2
Media quid artis poſtulent 59.1
μείωσις 41.2
Membri ratio 64.2
Membrum 64.1
μετάβασις 53.2
Metaphoræ ratio. 46.2
Metaphoræ ratio vt vitium in ea vitetur 48.2
μετάληψις 47.1

Metonymia 46.2
Miſeratio 23.2
Modus figurarũ 52.2
μυκτηρισμὸς 48.1
N
Narratio 9.2
Narratio quid 10.2
Narratio tota pro nobis, aut aduerſarijs, aut mixta 10.2
Narratio recte procemio ſubijcietur 10.1
Narratio quare ante ꝓbationẽ ponatur 11.2
Norratio quæ partim pro nobis, partim cõtra nos eſt, quomodo tractanda 12.1
Narratio exornãda omni gratia, etiam affectibus 12.1
Narrationis vitia 12.1
Narrationis virtutes 10.2
Narratiõis pedes 65.2
Narrationis ſpecies duæ 9.2
Narrationi fidem quæ afferant 12.1
Narrationem non exigit priuata deliberatio 5.2
Natio 15.1
Neceſſaria 14.1
Negandi forma duplex 20.1
Nihil in omni vita prius conſilio 29.1
Nihil peius confeſſione 20.1
νόημα 44.2
Notatio 21.2
Numer⁹ in initijs 58.2
Numerus in fine dominatur 58.2
Numerorũ in oratione difficultas 58.2
O
Obſcœna 41.1
Obſcœnitas 27.1
Obſcurum genus 9.1
Occaſio 26.1
Officia partis deliberatiuæ 5.1
Omnia in tres illos ſtatus venire 4.1
ὁμοιολογία 41.2
Onomatopœia 47.1
Opportunus metaphoræ vſus orationem illuſtrat 46.1
Optimæ figuræ 55.2
Orationis ſpecioſiſſimum genus 47.2

Oratoris officia 2.2
Ordo cōpoſitiōis 56.2
Ordo naturalis 56.2
Ordo probationis & refutationis in agendo 21.1
Ordo rerum 33.1
P
Pæon 58.1
Patria 15.1
Parabola 18.1. & 42.1
παραγόμενα quæ dicantur 47.1
Parentheſis 53.2
παροιμία 48.2
Partes rhetorices 1.2
Partes ſuadendi 5.2
Partes rhetorices quinque 1.2
Partes generis iudicialis 6.2
Partitio narrationis tędium leuat 11.1
Partitiōis vtilitas 13.1
Partitio 29.2
πάθος 24.2
πάθος quid 25.1
Pedum ſyllabæ & nomina 59.2
περιεργία 41.2
περίοδος 56.1
Periodi ratio 64.2
Periodos circuitúſve 64.1
Periphraſis 48.1
περισσολογία 48.2
Permiſſio 51.1
Peroratio 22.2
πλεονασμὸς 41.2
πολύπτωτον, alij μεταβολὴν vocāt 54.1
φαντασία 42.2
Phraſis 39.1
Præceptum de ſyllabis 57.1
Pręceptum diſpoſitionis 30.2
Prædictio 50.2
Præiudicia quibus cōfirmantur 13.2
Præmunitio 50.2
Præſcriptio. 35.2
Præſumptio 50.2
Probatio inartificialis 13.2
Probatio artificialis, 14.1
Probatio artificialis quibus cōſtet 14.1
Pro certis quæ habeantur 15.1
πρόληψις 50.2
Procemium aliud atq;

peroratio habet 9.1
Procemium 5.2
Procemia in deliberatiuis & demonſtratiuis 5.2
Propoſitiones ſimplices & duplices 13.1
Propoſitio nuda, & ratione ſubiecta 13.1
Propoſitio accommodabitur refutationi 20. 1
Propria ad coniecturę partem ſpectant 16. 1
Proprium 16.1
προσονομασία 55.1
Proſopopœiæ 6.1, & 12.1, & 23.2 & 51.1

Q

Qualitas in omnia genera cadit 34.1
Quãdo negãdũ 20.1
Quatuor tuendi rationes 3.2
Quę ſit ſtat⁹ cognatio & diuerſitas 38.2
Quæ ſpectanda in cõſilijs 6.1
Quæſtio 7.1
Quæſtiones duplices 2 2
Quæ vitanda erunt in exordio 8.2
Quibus ratio dicendi contineatur 2.1
Quibus cõſtet epicheirema 21.2
Quicquid partibus accedit, illud adiutorium, vel ornamentum eſſe 6.2
Quid Fabius in diſpoſitione fecerit 29.2
Quid ſit ſtatus, vnde ducatur, quis eum faciat, quot & qui ſint 3.1
Quid intuendum in genere iudiciali 6.2
Quid vtraq; pars facere debeat 36.2
Quid in riſu Ciceroni, quid Demoſtheni defuerit 26.1
Quis finis rhetorices 1. 1
Quomodo occurratur ſcripto primo modo, qui non ſimplex 36. 1
Quot modis figurę verborum fiant 53.1

R
Ratio ἄιτιοͷ 7.1
Rationes excuſandi 34. 2
Referre, in vno an in pluribus verbis ijdē ſint pedes 61.2
Reprehenſio quæ odiū parit illi quē inuiſū facere volum9 21.1
Reprehenſu facilia vitia 21.1
Rhetorice quid 1.1
Rhetorice ars 1.1
Ridiculum quid 27.2
Ridicula in tropos cadunt 27.2
Riſus vnde oriantur 27. 1
Riſus 25.2
Rumores 13.2
S
Salſum 26.2
σαρκασμὸς 48.1
Semina probationum in narratione ſpargere conuenit 11.1
Senſus 44.1
Sententia ad perſonā relata 44.2
Sentētiarū dēſitas obſtat inuicem 45.1
Senatuſconſultū 38.1
Separatū exord. 9.2
Sermocinatio 51.1
Sexus 15.1
Schemata 49.1
Schemata λέξεως duorū ſūt generū 53.1
Signa non neceſſaria. 14. 1
Signa duplicia 14.1
Similitudo 18.1
Similium refutatio. 20. 2
Simplex ſentētia 44.1
Simplex cauſa vnum habet ſtatum 3.1
Species amplificationis 41.2
Species ratiocinatiui ſtatus 38.1
Status 3.1
Status cauſæ 3.1
Subiectio ſub oculos. 51. 2
Synecdoche 54.2
συνέχοͷ, continens, ſiue firmamentū 7.2
συνεζευγμένοͷ 55.1
T
Tabulæ 14.1
ταπείνωσις 41.2
ταυτολογία, aut ἐπα-

νάληψις 41.2
Taxatur declamatorũ error in ſuaſorijs materijs 6.1
Tempus 15.2
Teſtamentis quid accidat 36.2
Teſtes 14.1
τοπογραφία 51.2
Tormenta 13.2
Tranſlatio criminis 39.2
Tranſlata 41.1
Tranſlatum 9.2
Tranſlatio metaphora græce 45.1
Tranſlatio 39.2
Tranſgreſſiones vitãdæ 56.2
Tres ſunt ſtatus 3.2
Tria ſpectãda in quæſtione cuiuſq; rei naturæ 15.2
Tria eſſe genera cauſarum 2.1
Tria in ſuaſorijs ſpectanda 5.2
Tribus modis pręparari auditorem 8.1
Triplex ratio exponẽdi criminis in cõtractionibus 20.2
Trocheus 58.1
Tropus quid 45.1
Tutelæ actio 35.1

V

Vbi quiſque commode laudari, aut vituperari poſſit 5.1
Verbo claudenda oratio 56.2
Venuſtum 26.2
Vis orationis δείνωσις 25.1
Vitia refutatiõis 21.1
Vitia contradicentium 21.1
Vitioſa defenſiõis permutatio 21.1
Vituperatio 27.1
Vltima controuerſia tranſlatio 20.1
Vnde ſtat⁹ ducat 3.1
Vnde argumenta petantur 15.1
Vrbanitas 26.2
Vſus finitionis 33.1
Vſus ꝓpoſitionis 13.1
Vtilis rhetorice 1.1
Vulgare exord. 9.2
ὑποτύπωσις 51.2

FINIS.

# COMPENDIVM INSTITVTIONIS ORATORIAE DE SENTENTIA MARCI FABIJ QUINTILIANI.

*Rhetorice quid.*

RHetorice eſt bene dicendi ſcientia: cum reperto quod eſt optimum, qui quęrit aliud, peius velit. Eius finis & ſummum, quod τέλος dicitur, eſt bene dicere.

*Quis finis.*

Qꝫ ſi bene dicendi ſcientia eſt Rhetorica, vt ſit orator in primis vir bonus, vtilem certe eſſe eam confitendum eſt: idq; cum multis rationibus probari poſſit, tum certe hac vna ſatis liquet, quòd deus ille princeps parens rerum, fabricatórq; mundi nullo magis hominē ſeparauit à cæteris, quæ quidem mortalia eſſent, animalibus, quàm dicendi facultate. Quare etiam ſi nihil à dijs oratione melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus, aut in quo malimus præſtare hominibus, quàm quo ipſi homines cęteris animalibus pręſtent? Eo quidem magis, quòd nulla in parte plenius labor gratiam refert.

*Vtilis rhetorice.*

Hanc etiam ſummi viri artem eſſe dixerunt. Conſtat enim & inſpectione & exercitatione, vt artes cæteræ. Et ſi ars eſt Dialectice, quod fere conſtat, ab eáque ſpecie magis quàm genere differat, non poteſt ars Rhetorice nō eſſe: atque ex eo genere, quæ actu continetur, in quo & frequentiſſi-

*Rhetorice ars.*

ma eſt. quare etiam actiua vel adminiſtratiua dici poſſit. Porrò materiam huius, ſummi authores iudicant omnes res, quæcunque ei ad dicendum ſubiectæ erunt. Initium ſane Rhetorices nullum eſt aliud, quàm quòd ſermonem ab ipſa rerum natura geniti protinus homines acceperint: huic ſtudium & incrementum dederit vtilitas: ſummam, ratio & exercitatio.

Materia rhetorices.

Initiū eius.

## PARTES RHETORICES, ET QVAE ex libro tertio deſumpta ſunt.

Partes rhetorices quinque.

OMnis autem orandi ratio, vt plurimi maximiq; authores tradiderūt, quinq; partibus cōſtat: inuentione, diſpoſitione, elocutione, memoria, pronunciatione ſiue actione. vtroque enim modo dicitur. Omnis vero ſermo, quo quidem voluntas aliqua enunciatur, habeat neceſſe eſt & rem, & verbum. Ac ſi breuis & vna concluſione finitur, nihil fortaſſe vltra deſideret. At oratio longior plura exigit. Non enim tantum refert, quid, & quomodo dicamus, ſed etiam quo loco. opus ergo eſt & diſpoſitione. Sed nec omnia quæ res poſtulat, dicere, nec ſuo quæq; loco poterimus, niſi adiuuāte memoria. quapropter ea pars quarta erit. Verū hæc cuncta corrumpit, ac propemodum perdit indecora vel voce vel geſtu pronunciatio. huic quoq; igitur neceſſario tribuendus eſt quintus locus.

TRIA ESSE GENERA CAVSARVM.

OMne oratoris officium, aut in iudicijs eſt, aut extra iudicia. Eorũ de quibus iudicio quæritur, manifeſtum genus eſt. Ea quæ ad iudicẽ nõ veniũt, aut præteritũ habẽt tẽpus, aut futurũ. prçterita laudamꝰ, aut vituperamus: de futuris deliberamus. Item omnia de quibus dicendum eſt, aut certa ſint neceſſe eſt, aut dubia. Certa, vt cuiq; eſt animus, laudat, aut culpat. Ex dubijs partim nobis ipſis ad electionem ſunt libera, de his deliberatur: partim aliorum ſententiæ commiſſa, de his lite contenditur. Eſt igitur, vt dixi, vnum genus quo laus ac vituperatio continetur: ſed eſt appellatum a parte meliore laudatiuum: idem alij demonſtratiuum vocant. Vtrunque nomen ex græco creditur fluxiſſe: nam ἐγκωμιαστικὸν & ἐπιδεικτικὸν dicunt. Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non tam demonſtrationis vim habere quàm oſtentationis videtur, & multum ab illo ἐγκωμιαστικὸν differre. Nam vt continet laudatiuum in ſe genus, ita non intra hoc ſolum conſiſtit. Alterum eſt deliberatiuum. Tertium iudiciale: nec continetur ſua quodque certa quæſtione, ſed ſtant quodammodo mutuis auxilijs omnia. ¶Omnis autem oratio conſtat aut ex ijs quæ ſignificantur, aut ex ijs quæ ſignificant, id eſt rebus, & verbis. Facultas orandi conſummatur natura, arte, exercitatione: cui quartam partem adijciunt quidam imitationis, quam nos arti ſubijcimus. ¶ Tria ſunt quæ

Quibus ratio dicendi contineatur.

Oratoris officia. præſtare debeat orator, vt doceat, moueat, delectet. Illud iam omnes fatentur, eſſe quæſtiones, aut in ſcripto, aut in non ſcripto. In ſcripto ſunt de iure: in non ſcripto, de re. Illud legale, hoc rationale genus. Hermagoras, atq; eum ſecuti, vocant νομικὸν & λογικόν. Idem ſentiunt, qui omnem quæſtionem ponunt in rebus & in verbis. Item conuenit quæſtiones eſſe aut infinitas, aut finitas. Infinitæ ſunt quæ remotis perſonis & temporibus & locis, cæteriſque ſimilibus, in vtranque partem tractantur: quod Græci θέσιν dicunt, Cicero propoſitum, alij quæſtiones vniuerſales, ciuiles: alij quæſtiones philoſopho conuenientes. Hoc genus Cicero ſcientia & actione diſtinguit: vt ſit ſcientiæ, an prouidentia mundus regatur. actionis, an accedendum ad Rempublicam adminiſtrandam. Prius trium generum, an ſit, quid ſit, quale ſit. omnia enim hæc ignorari poſſunt. Sequẽs duorum, quomodo adipiſcamur, quomodo vtamur. Finitæ autem ſunt ex complexu rerum, perſonarum, temporum, cæterorúmque, hæ ὑποθέσεις à Græcis dicuntur: cauſæ à noſtris. In his omnis quæſtio videtur circa res perſonáſque conſiſtere. Amplior eſt ſemper infinita. inde enim finita deſcendit. Quod vt exemplo pateat, infinita eſt, an vxor ducenda: finita, an Catoni ducenda: ideóque eſſe ſuaſoria poteſt. Sed etiam remotæ a perſonis proprijs ad aliquid referri ſolẽt. Eſt enim ſimplex, an Reſpublica adminiſtranda. Refertur ad aliquid, an in tyrannide adminiſtranda.

(Margin notes: Quæſtiones duplices. Infinitæ. — Finitæ quæſtiones.)

QVID SIT STATVS, VNDE DVcatur, quis eum faciat, quot & qui ſint.

CVm omnis cauſa contineatur aliquo ſtatu, appellemus ſanè ſtatũ, Græci στάσιν, Cicero conſtitutionem vocat, quod ex prima conflictione naſcitur: id eſt, genus quæſtionis. feciſti, non feci, an fecerit? Hoc feciſti, non feci, quid fecerit? Illud coniectura, hoc finitione quærendum. atq; in quo pars vtraq; inſiſtit, erit quæſtio cõiecturalis vel finitiui ſtatus. Simplex autẽ cauſa, etiã ſi variè defenditur, nõ poteſt habere plus vno, de quo pronuncietur. atq; erit inde ſtatus cauſæ, quod & orator præcipuè ſibi obtinẽdum, & iudex ſpectandũ maximè intelligit. In hoc enim cauſa cõſiſtet. Cæterum quæſtionum poſſunt eſſe diuerſi ſtatus. Quod vt breuiſſimo pateat exemplo: cũ dicit reus, etiã ſi feci, rectè feci, qualitatis vtitur ſtatu. Cũ dicit, non feci, coniecturã mouet. Sẽper autẽ firmius eſt non feciſſe. ideoq; ſtatũ eſſe in eo iudicabo, quod dicerem, ſi mihi plus q̃ vnum dicere non liceret. Noſtra ſanè opinio ſemper hæc fuit, vt cũ eſſent frequenter in cauſa diuerſi quæſtionũ ſtatus, in eo crederẽ ſtatũ cauſæ, quod eſſet in ea potentiſſimũ, & in quo maximè res verteretur. ¶ Vnde ducatur ſtatus, varium eſt: & accidit pro conditione cauſarum: quia videri poteſt propoſitio aliquando ſtatum facere: vt in coniecturalibus cauſis. vtitur enim cõiectura magis qui agit. Interim & ex depulſione naſcitur ſtatus: nihilominus tamen

Status quid

Simplex cauſa vnum habet ſtatũ

Stat⁹ cauſæ

Status.

Vnde ſtatus ducatur.

res eò reuertetur,vt modo is qui agat,modo is cum quo agitur,ſtatũ faciat. Sit enim accuſatoris intentio:hominẽ occidiſti. ſi neget reus, faciet ſtatũ qui negat. Quid ſi cõfitetur, ſed iure a ſe adulterũ dicit occiſum? Nempe legem eſſe certũ eſt,quæ permittat.niſi aliquid accuſator reſpondet,nulla lis eſt. Non fuit(inquit) adulter. Ergo depulſio incipit eſſe actoris, ille ſtatũ faciet. ita erit quidẽ ſtatus ex prima depulſione,ſed ea fiet ab accuſatore,non a reo. ¶ SVMMI authores,& quorũ authoritatẽ ſecutus eſt Cicero, tria eſſe dixere, quæ in omni diſputatione quærantur : An ſit, Quid ſit, Quale ſit. quod etiam ipſa natura nobis præſcribit. Nam primũ oportet ſubeſſe aliquid de quo ambigitur:quod,quid,& quale ſit,certè nõ poteſt exiſtimari,niſi prius eſſe cõſtiterit. Ideo ea prima quæſtio eſt.ſed nõ ſtatim quod manifeſtũ,etiã quid ſit apparet.hoc quoq; conſtituto, nouiſſima qualitas ſupereſt : nec his exploratis, aliud eſt vltra. His infinitæ quæſtiones,his finitæ cõtinẽtur. Horũ aliqua in demõſtratiua,deliberatiua,iudiciali materia vtiq; tractãtur. Hæc rurſus iudiciales cauſas & rationali parte & legali cõtinet. Nec enim vlla iuris diſceptatio, niſi finitione, qualitate, coniectura poteſt explicari. Sed inſtituentibus rudes, non erit inutilis latius primo fuſa ratio. Diſcãt igitur ante omnia quadripertitã in omnibus cauſis eſſe rationẽ,quam primam intueri debeat qui acturus eſt. Nam vt a defenſore potiſſimũ incipiã, longe fortiſſima tuendi ſe ratio eſt,ſi quod obijcitur,negari po-

Tres ſunt ſtatus.

Notatio.

Quatuor tuendi ſe rationes,

teſt. Proxima, ſi non id quod obijcitur, factum eſſe dicitur. Tertia, honeſtiſſima, qua rectè factum defenditur. Quibus ſi deficiamur, vltima quidem, ſed iam ſola ſupereſt ſalus, aliquo iuris adiutorio elabēdi ex crimine, quod nec negari, nec defendi poteſt: vt non videatur iure actio intendi. Hinc illæ quæſtiones ſiue actionis, ſiue tranſlationis. Porrò in eos quos diximus tres ſtatus, etiam ſi legales ſpecies quatuor, ſyllogiſmus, ἀμφιβολογία, finitio, & ea omnia veniunt: tamen quia habēt aliquid velut proprium, videntur demonſtranda diſcētibus, & permittendum ea dicere vel ſtatus legales, vel quæſtiones, vel capita quædam minora, dum ſciant, nihil ne in his quidem præter tria quę prædiximus, quæri. Hoc inter omnes conuenit, in cauſis ſimplicibus ſingulos eſſe ſtatus cauſarum: quæſtionum autem, quæ velut ſubiacentes ad illud quo iudicium continetur, referuntur, ſæpe in vnam cadere plures poſſe. Cauſa quoq;, & iudicatio, & continens eſt in omni genere cauſarum. nihil enim dicitur, cui non inſit ratio, & quò iudiciū referatur, & quod rem maximè contineat. Nunc quia in tria genera cauſas diuiſi, ordinem ſequar.

Omnia in tres illos ſtatus venire.

## DE DEMONSTRATIVO, QVOD conſtat laude & vituperatione.

DEmonſtratiuum genus cōſtat laude, ac vituperatione. Quod genus videtur Ariſtoteles atque eum ſecutus Theophraſtus a parte negotiali, hoc eſt πραγματικῆς remo

uiſſe,totamque ad ſolos auditores relegaſſe, & id eius nominis quod ab oſtentatione ducitur, proprium eſt. Sed mos Romanus etiam negotijs hoc munus inſeruit, & olim celebre in actionibus publicis: vt, deſiderat autem laus, quæ negotijs adhibetur, probationem : ſic illa quæ oſtentationi componitur, habet interim aliquã ſpeciem probationis : vt qui Romulum Martis filium, educatumque a lupa dicat, in argumentum cæleſtis ortus vtatur his, quòd abiectus in profluentem, non potuerit extingui. Sed laudis eſt res amplificare & ornare. quæ materia in deos & homines cadit. eſt tamen & aliorum animaliũ & carentium anima, hoc eſt vt alij dicũt, laudãtur perſonæ, aut facta, aut res.

Hic vides eorum errorẽ qui in laudationib⁹ vituperationib⁹ q; nullã dicebant eſſe cõtrouerſiã e q; nec cõfirmationẽ, nec confutationẽ expoſitio certè argumentationẽ : argumẽtatio expoſitionem habet: cũ altera accedat alteri, in id etiã neceſſario trãſeũt, cui iũgũtur.

Loci ſeu organa a quibus laus petitur.

- A temporibus anteactis, & quibus ipſi vixerunt.
  - patria
  - parẽtibus
  - maioribus
  - quorum tractat⁹ duplex
    - reſpondiſſe nobilitati pulchrum
    - humilius genus illuſtraſſe factis
- Ex aio, & corpore & extra poſitis: quæ ad hominis laudem pertinent.
  - Corporis ſunt
    - pulchritudo
    - robur
    - infirmitas quæ admirationi nunquam non confert
- Quæ ideo ſolum laudantur, quòd ijs honeſtè vſus quis fuerit.
  - Animi ſunt
    - indoles
    - diſciplina
    - factorũ dictorũq; cõtextus
    - Cæteræ etiam virtutes in ſpecies diuiſæ.

Qui omnis etiam in vituperatione ordo conſtabit, tamē in diuerſum. Nam animi totidem vitia, quot virtutes ſunt: nec minus quàm in laudibus, duplici ratione tractantur. Intereſſe tamen Ariſtoteles putat, vbi quiſque laudetur, aut vituperetur. Nam plurimum refert, qui ſint audientium mores, quæ publicè recepta perſuaſio, vt illa maxime quæ probant, eſſe in eo qui laudabitur, credant: aut in eo contra quem dicemus, ea quæ oderunt: ita non dubium erit iudicium, quod orationem præceſſerit. Ipſorum etiam iudicum permiſcenda laus ſemper. nam id beneuolos facit. Quoties autem fieri poterit, cum materiæ vtilitate iūgenda. Laudantur & vrbes, ciues, opera, & huiuſmodi. Quemadmodum igitur non conſenſi hoc laudatiuum genus circa ſolam verſari honeſti quæſtionem, ſic qualitate maxime contineri puto: quanquā omnes tres ſtatus cadere in hoc opus poſſint. His quoque vſum C. Cæſarem in vituperando Catone, notauit Cicero. Totum autem habet aliquid ſimile ſuaſorijs: quia plerunque eadem illic ſuaderi, hic laudari ſolent.

Vbi quiſque commodè, aut laudari, aut vituperari poſſit.

## DE SVASORIA MATERIA, ET proſopopœia.

DEliberatiuam materiā Cicero dignitate maxime contineri putat: (quæ eadem ſuaſoria de tempore futuro conſultat, quærit etiam de præterito) officijs conſtat duo-

Officia partis deliberatiuæ.

*Proœmium*

*Proœmia in deliberatiuis & demōſtratiuis.*

bus: ſuadendi, & diſſuadendi. Proœmio quale eſt in iudicialibus, non vbiq; eget: quia conciliatus eſt ei quiſq;, quem conſulit. Initium tamen quodcunq; debet habere aliquam proœmij ſpeciem. Nec enim abruptè, nec vnde libuit incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primum. In ſenatu vtique, & in concionibus eadem ratio quæ apud iudices, acquirendæ ſibi plerunq; eorum apud quos dicendum ſit, beneuolentiæ. Erimus autem in hac materia, cum proœmio vtemur, breuiore tamen & velut quodam capite tantum & initio contenti.

*Narrationē non exigit priuata deliberatio.*

¶ Narrationem vero nunquam exiget priuata deliberatio, eius duntaxat rei, de qua dicenda ſententia eſt: quia nemo ignorat id de quo conſulit. Extrinſecus poſſunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In cōcionibus ſæpe eſt etiam illa, quæ ordinem rei docet, neceſſaria, & affectus, vt quæque maximè poſtulabit. Nam & concitanda, & lenienda frequenter eſt ira: & ad metum, cupiditatē, odium &c. impellendi animi. Plurimum tamen in cōſilijs valet authoritas.

*Tria in ſuaſorijs ſpectanda.*

¶ Tria præterea in ſuaſorijs ſpectanda. quid ſit de quo deliberetur, qui ſint qui deliberent, qui ſit qui ſuadeat. Rem de qua deliberatur, aut certum eſt poſſe fieri: aut incertum. Si incertum, erit hæc quæſtio ſola, aut potentiſſima. ſæpe enim accidet, vt prius dicamus, ne ſi poſſit quidem fieri, eſſe faciendum: deinde fieri non poſſe.

*Partes ſuadendi.*

¶ Partes ſuadendi ſunt, honeſtum, vtile, & quod alij δυνατὸν, noſtri poſſibile nominant. Omnis ſi-

quidem deliberatio de dubijs eſt. Has autem partes nõ omnes in omnem cadere ſuaſoriam, manifeſtius eſt,quàm vt docendum ſit. his tribus velut ſpecies adijciuntur,fas,iuſtum,pium, æquum,& cætera:quæ fuſius exponũtur lib. 3 cap.10 inſtit.orat. Videndum etiam quid conſecuturi ſumus,& per quid:vt æſtimari poſſit, plus in eo quod petimus, ſit commodi: an vero in eo per quod petimus, incommodi. Huc pertinent,temporis quæſtio,perſona quam decoris cauſa ſæpe intuemur, exempla, authoritas conſulentis, & diuerſi deliberantium animi. color enim deformibus dandus. Quibuſdam tamen authoritas ſufficit: quoſdam ratio ipſa tuetur: ideoque longè mihi videntur difficillimæ Proſopopœiæ, in quibus ad reliquum ſuaſoriæ laborem,accedit etiam perſonæ difficultas.diuerſa ingenia diuerſam ſequentur ſententiam. Omnino etiam ab eorum nõ ſimplici errore diſſentio, qui in deliberatiuis materijs diuerſum genus & plane contrarium iudiciali eſſe exiſtimarũt. Vt enim prooemio video non vtiq; opus eſſe ſuaſorijs, propter quas dixi ſuprà cauſas, ita cur initio furioſe ſit exclamandum,non intelligo: cum propoſita conſulatione rogatus ſententiam, ſi modo eſt ſanus, non quiritet, ſed quammaxime poteſt ciuili & humano ingreſſu mereri aſſenſum deliberantis velit. Tota autem oratio ſimplex & grauis, & ſententijs debet eſſe ornatior quàm verbis.

Quę ſpectãda ĩ cõſilijs.

Color deformib⁹ dãdus

Proſopopœia.

Taxatur declamatorũ error in ſuaſorijs materijs.

## DE PARTIBVS CAVSARVM iudicialium.

Partes generis iudicialis

Quicquid ē partibus accedit, illud adiutorium vel ornamẽtum eſſe.

Quid intuẽdum in genere iudiciali.

IVdiciale genus officijs cõſtat duobus: intentionis,& depulſionis. Cuius partes,vt plurimis authoribus placuit, quinque ſunt: procœmium,narratio, probatio, refutatio, peroratio. Probationi ſuccedũt partitio & propoſitio. exceſſus,& huiuſmodi,harum partiũ,ex quibus egrediũtur,ſunt ornamenta,vel adiutoriũ. Nec aſſentior Ariſtoteli,qui refutationem detrahit, tanquã probationi ſubiectam. Hæc enim cõſtituit,illa deſtruit. Ante omnia intueri oportet,quod ſit genus cauſæ, quid in ea quæratur, quid proſit, quid noceat:deinde quid confirmandum atq; refellendum ſit:tum quomodo narrandum. Expoſitio enim,probationum eſt præparatio:nec eſſe vtilis poteſt,niſi prius conſtiterit quid debeat de probatione promittere. Poſtremo intuendum queẽadmodũ iudex ſit cõciliandus. ¶ CAETERVM cauſa omnis, in qua pars altera agentis eſt, altera recuſantis , aut vnius rei controuerſia conſtat, aut plurium . illa ſimplex dicitur, hæc coniuncta. Vna controuerſia eſt per ſe furti,per ſe adulterij. Plures aut eiuſdem generis, vt in præmijs repetundis:aut diuerſi, vt ſi quis ſacrilegij & homicidij ſimul accuſetur . quod in publicis iudicijs nunc non accidit, olim frequens principibus, ſenatus & populi cognitionibus fuit. Diuerſum his tertium genus, quod dicitur comparatiuum, Centumuiris familiæ

rius. Adiecerunt quidã ἀντικατηγορίαν.i. mutuam accuſationem. Sed cognito cauſæ genere, tum intuebimur, negetúrne factum quod intẽditur, an defendatur, an alio nomine appelletur, an à genere actionis repellatur, vnde ſunt ſtatus. ¶ NVNC videamus quid ſit quæſtio, ratio, iudicatio, continens, id eſt συνέχον, vel vt alij vocant, firmamentum.

Quæſtio.

Quæſtio, de qua hic loquor, eſt per quam ſignificamus ſummam illam in qua cauſa vertitur, ex qua naſcitur ſtatus, an factum ſit, quid factum ſit, an recte factum ſit. hanc alij ζήτημα veluti principalem quæſtionem vocant.

Ratio

¶ Ratio autem eſt, qua id quod factum eſſe cõſtat, defenditur: vt, Oreſtes matrẽ occidi. hoc cõſtat: dicit ſe iuſte feciſſe. Status erit qualitatis. Quęſtio, an fecerit. ratio, quòd Clytemnęſtra maritum ſuum, patrẽ Oreſtis occidit, hoc αἴτιον dicitur.

Iudicatio

¶ κρινόμενον autem iudicatio, an oportuerit vel nocentẽ matrem à filio occidi. Quot autem cauſas faciẽdi adferimus, totidem iudicationes. Nam & hæc erit iudicatio, an reſponſis Agamemnon, quibus ſe impulſum ait, parere debuerit.

Notatio. Cõmunẽ filiam immolauerat, & captiuã pellicẽ adduxit.

Sed & vna cauſa plures habere quæſtiones, & iudicationes (vt ego arbitror) poteſt: vt in eo, qui quum adulteram deprehenſam occidiſſet, adulterum qui tum effugerat, poſtea in foro occidit. Cauſa eſt vna, adulter fuit, quæſtiones & iudicationes, an illo tempore, an illo loco licuerit occidere. Sed ſicut, cum ſint plures quæſtiones, omnéſque ſuos ſtatus habeant, cauſæ tamen ſtatus vnus ſit, ad quem referen-

*Iudicatio propria maxime.*
*Synechon continens ſiue firmamentum.*
*Iudicatio, ſtatus, continens, idem ſignificant.*

tur omnia : ita iudicatio maximè propria, de qua pronunciatur. ¶ συνέχον autem, quod alij continens, firmamentum alij putant: Cicero firmiſſimam argumentationem defenſoris, & appoſitiſſimam ad iudicationem. Plerique affectata ſubtilitate circa nomina rerum ambitioſe laborantes, negant, vbi cauſa tractatur, eodem loco eſſe iudicationem, quo quæſtionem. Verius igitur & breuius qui ſtatum, & continens, & iudicationem idem eſſe voluerunt. Cōtinens autem id eſſe, quo ſublato lis eſſe non poſſit. hoc mihi videtur vtranque cauſam cōplecti, & quòd Oreſtes matrem, & quòd Clytæmnæſtra Agamemnonem occiderit.

## QVID SIT EXORDIVM, NARRATIO, EGRESSIO, propoſitio, partitio: ex libro.iiij.

### DE EXORDIO.

QVod principium latinè, vel exordium dicitur, maiore quadam ratione Græci videntur προοίμιον nominaſſe: quia a noſtris modo initium ſignificatur: illi ſatis clarè partem hanc eſſe ante ingreſſum rei, de qua dicendum ſit, oſten-

dunt. Nã ſiue propterea, quòd ὄιμη cantus eſt, & citharœdi pauca illa quæ antequam legitimum certamen inchoent, emerendi fauoris gratia canunt, prooemium vocauerunt: oratores quoq; ea, quæ priuſquam cauſam exordiantur, ad conciliandos ſibi iudicum animos præloquuntur, eadem appellatione ſignarunt. ſiue quòd ὄῖμον ijdem Græci viam appellant, id quod ante ingreſſum rei ponitur, ſic vocare eſt inſtitutum: certè procœmium eſt quod apud iudicem dici priuſquam cauſam cognouerit, poſſit. ¶ Cauſa principij nulla alia eſt, quàm vt auditorem, quò ſit nobis in cæteris partibus accommodatior, præparemus. Id fieri tribus maximè modis iter authores plurimos cõſtat, ſi beneuolũ, attentũ, docilẽ fecerimus: nõ quia iſta per totam actionem non ſint cuſtodienda, ſed quia in initijs maximè neceſſaria, per quæ ad animũ iudicis, vt procedere vltrà poſſimus, admittimur. ¶ Beneuolentiam aut à perſonis ducimus, aut à cauſis accipimus. Plurimum tamen ad omnia momenti eſt in hoc poſitum, ſi vir bonus creditur. ſic enim continget, vt non ſtudium aduocati videatur afferre, ſed penè teſtis fidem. Quare in primis exiſtimetur veniſſe ad agendum ductus officio vel cognationis, vel amicitiæ: maximéq; ſi fieri poteſt, Reipublicæ, aut alicuius certè non mediocris exempli. quod ſine dubio multo magis ipſis litigatoribus faciendum eſt. Sed & præcipua in hoc dicentis authoritas eſt, ſi in ſubeundo negocia ſuſpicio ſordium, aut odiorum, aut ambitionis

Cauſa principij.

Tribus modis præparari auditorẽ.

Beneuolẽtia vnde ducatur?

abſuerit : ita quædam in ijs quoq; commenda-
tio tacita, ſi nos infirmos & impares agentium
contrà ingenijs dixerimus . Eſt enim naturalis
fauor pro laborantibus, & iudex religioſus li-
bentiſſime patronum audit, qui iuſtitiæ ſuæ ti-

Quæ vitanda erunt in exordio.

met. Vitandum etiam, ne contumelioſi, mali-
gni, ſuperbi, maledici in quenquam hominem
ordinémve videamur, præcipue eorum qui læ-
di, niſi aduerſa iudicum voluntate, non poſſint.
Patronus etiam aduerſæ partis exordium da-
bit, ſi eloquentiam ac gratiam iudici ſuſpectã

Litigatoris perſona quo modo tractãda.

fecerimus . Litigatoris perſona varie tractan-
da. Nam tum dignitas eius allegatur, tum cõ-
mendatur infirmitas, nonnunquam contingit
relatio meritorum. De quibus verecundius di-
cendum erit ſua quàm aliena laudanti. Multũ
agit ſexus, ætas, conditio. Deguſtanda tamen

Aduerſarij perſona quo modo tractanda.

hæc prooemio, nõ conſummãda . ¶ Aduerſarij
vero perſona prope ijſdem omnibus, ſed e con-
trario ductis impugnari ſolet. Nam & poten-
tes ſequitur inuidia, & humiles abiectóſque cõ-

Potẽtiſſima ad alienandos iudicum animos.

temptus, & turpes ac nocentes odium . Quæ
tria ſunt ad alienandos iudicum animos poten-

Iudex quibus concilietur.

tiſſima. Conciliatur autem varie iudex, ſi laudẽ
eius ad vtilitatem noſtræ cauſæ coniunxeri-
mus : ſi mores eius recte nouerimus . Metus
nonnunquam amouendus, interim adhiben-
dus. Si cauſa conciliandi nobis iudicis mate-
riam dabit, ex hoc potiſſimum aliqua in vſum
principij, quæ maxime fauorabilia videbuntur,
decerpi oportebit . Miſericordia quoque iu-
dicem mouet, ſiue quid paſſi ſimus graue, ſiue

paſſuri. In ingreſſu tamen parcius & modeſtius prætentanda eſt iudicis miſericordia: in epilogo vero liceat totos effundere affectus, & fictam orationẽ induere perſonis, & defunctos excitare, & pignora eorum producere, quę minus exordijs ſunt vſitata. Ducuntur & exordia ex ijs quæ non perſonarũ nec cauſarũ ſunt, verum adiuncta perſonis & cauſis.

*Procemium aliud atque peroratio habet.*

¶ ATTENTVM iudicem faciunt, ſi res agi videtur noua, magna, atrox, pertinens ad exemplum: præcipue tamen ſi iudex aut ſua vice, ant Reipu. cõmouetur: cuius animus ſpe, metu, admonitione, precibus, vanitate deniq;, ſi id profuturũ credimus, agitandus eſt.

*De parãdo attentione.*

¶ DOCILEM ſine dubio & hęc ipſa præſtat attentio: ſed & illud, ſi breuiter & dilucide ſummam rei, de qua cognoſcere debeat, indicauerimus. Huius rei pulcherrimum exemplum Ciceronis pro Cluentio habes. Quædam etiam minuenda & quaſi contẽnenda ſunt.

*Docilem facientia.*

¶ GENERA cauſarum plurimi fecerũt, honeſtum, humile, dubium vel anceps, admirabile, obſcurum, id eſt, ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, δυσπαρακολούθητον

*Cauſarum genera.*

Admirabile, quod eſt præter opinionem hominum conſtitutum. In ancipiti maxime beneuolum iudicem, in obſcuro docilem, in humili attentum parare debemus. Nam honeſtum quidem ad conciliationem ſatis per ſe valet. In admirabili & turpi remedijs opus eſt. Et eo quidam exordium in duas diuidunt partes: in principium, & inſinuationem: vt ſit principijs recta beneuolentiæ & attentionis poſtulatio, quę

*Admirabile. Anceps. Obſcurum. Humile. Honeſtum.*

*Exordij partes.*

quia eſſe in turpi genere cauſæ non poſſit, inſinuatio ſurrepat animis: maxime vbi frons cauſæ nõ ſatis honeſta eſt. Illud in vniuerſum pręceptum ſit, vt ab ijs quę lædunt, ad ea quę proſunt, refugiamus: eóque & alijs de cauſis inſinuatione opus eſſe videtur. Multum gratiæ exordio eſt, quod ab actione aduerſę partis materiam trahit: aut illud ſententiarum & compoſitionis, & vocis, & vultus modeſtia exornat. Modus autem principij pro cauſa. *Sermone* auerſo quanuis rarius, nonnunquam tamen vtimur, vt ſenſus aliquis ſit acrior atque vehementior.

Exordiorũ vitia.
Vulgare.
Commune.

Exordiorum vitia ſunt, quod in plures cauſas accommodatur, vulgare dicitur. Quo aduerſarius vti poteſt, cõmune appellatur. Quod aduerſarius in ſuam vtilitatem deflectere poteſt,

Cõmutabile
Separatum.
Tranſlatum

commutabile. Quod cauſę non cohęret, ſeparatum. Quod aliunde trahitur, trãſlatum. ſunt & alia. Quoties autem prooemio fuerimus vſi, tamen ſiue ad expoſitionem tranſibimus, ſiue protinus ad probationem, id debebit in principio poſtremum eſſe, cui commodiſſime iungi initium ſequentium poteſt.

## DE NARRATIONE.

Narratio.

MAxime naturale eſt, & fieri frequentiſſime debet, vt præparato iudice, res de qua pronunciaturus eſt, indicetur. Ea eſt narratio.

Narrationis ſpecies duæ

Narrationis autem ſpecies duas eſſe exiſtimo: alteram ipſius cau

ſæ:alteram rerum ad cauſam pertinentium ex-poſitionem. Erit aliqua, & interim longa cir-ca argumenta eius criminis de anteacta vi-ta, de cauſis, propter quas innocens in pe-riculum deducatur, alijs quibus incredibile id quod obijcitur, fiat. Introducitur etiam narra-tio vel exempli, vel augendi gratia, vel ficta ad concitandos iudices: aut per digreſſionem deco ris cauſa. quæ omnia eò pertinent, vt appareat, non vtiq; non narrare eum qui negat, ſed illud ipſum narrare quod negat. Nec eſt narratio in hoc reperta, vt tantum cognoſcat iudex, ſed aliquanto magis, vt conſentiat. Quare etiam ſi non erit docendus, ſed aliquo modo afficien-dus, narrabimus cum præparatione quadam. Interim propter aliquem in conſilium adhibi-tum nos repetere illa ſimulemus, interim vt rei quæ ex aduerſo proponatur, iniquitatem om-nes etiam circunſtantes intelligant. In quo ge-nere plurimis figuris varianda erit expoſitio ad effugiendum tædium audientis: ſicut, me-miniſti: &, fortaſſe ſuperuacuum fuerit hic cõmorari. Sed quid ego diutius, quum optime noris? & his ſimilia. Narratio recte procE-mio ſubijcietur. hoc tamen conditio cauſarum interdum mutat. Erunt enim quædam cauſæ, nec id raro, crimini quidem de quo cognitum eſt, faciles ad diluendum, ſed multis anteactę vitę flagitijs, & grauibus criminibus one-ratę, quę prius amouenda ſunt, vt propi-tius iudex defenſionem ipſius negotij, cuius propria quęſtio eſt, audiat. Sed hęc hactenus.

Narratio recte proœmio ſubijcietur.

Narratio quid

¶Narratio,eſt rei factæ,aut vt factæ vtilis ad perſuadendũ expoſitio.Eam pleriq; ſcriptores, maximè qui ſunt ab Iſocrate, volunt eſſe lucidam, breuem , veriſimilem. Nec enim refert, an pro lucida perſpicuam, pro veriſimili probabilem , credibilemve dicamus . Narratio eſt aut tota pro nobis,aut tota pro aduerſarijs,aut mixta ex vtriſq;.Si erit tota pro nobis, contenti ſumus tribus partibus,per quas efficitur quò iudex facilius intelligat , meminerit , credat. Sunt quidem hæ, quas ſuprà retuli , virtutes aliarum quoque partium.Nam per totam actionem vitanda eſt obſcuritas,& nobis vbique cuſtodiendus modus , & credibilia oportet eſſe omnia quæ dicuntur . Maximè tamen hæc in ea parte cuſtodienda ſunt,quæ prima iudicem docet : in qua ſi acciderit,vt aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat , fruſtrà in reliquis elaborabimus . ¶Erit autem narratio aperta atque dilucida,ſi fuerit primum expoſita verbis proprijs & ſignificantibus,& non ſordidis quidem , non tamen exquiſitis,& ab vſu remotis: tum diſtincta rebus,perſonis, temporibus , locis, cauſis: ipſa etiam pronunciatione in hoc accommodata , vt iudex quæ dicuntur quàm facillimè accipiat . ¶Breuis erit narratio ante omnia,ſi inde cœperimus rem exponere , vnde ad iudicem pertinet : deinde ſi nihil extra cauſam dixerimus: tum etiam ſi reciderimus omnia , quibus ſublatis nec cognitioni quicquam , nec vtilitati detrahatur. Non minus autem cauenda erit , quæ nimium corri

Narrationis virtutes.

Narratio tota pro nobis aut aduerſarijs,aut mixta.

Aperta narratio.

Breuis narratio

Cauenda in narratione obſcuritas.

pientes omnia ſequitur obſcuritas: ſatiuſqꝫ eſt aliquid narrationi ſupereſſe quàm deeſſe. nã ſuperuacua cum tædio dicuntur: neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Quædã ex ordine prætermittenda: multa etiam quæ ſunt in re, quia remota ſunt a cauſa, prætermittam. At partitio tædium leuat. Dicam quæ acta ſunt ante ipſum rei contractum: dicam quæ in re ipſa: dicam quæ poſtea. Ita tres potius modicæ videbuntur narrationes, quàm vna longa. Interim expediet expoſitiones breui interfatione diſtinguere. Audiſtis quæ acta ſunt, audite nũc quæ inſequuntur. Si tamen adhibitis quoqꝫ his artibus in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte commonitio. quod Cicero etiam in breui narratione facit. Adhuc Cæſar Qu. Ligarius omni culpa caret, domo eſt egreſſus &c. ¶ Credibilis autem erit narratio ante omnia, ſi prius cõſuluerimus noſtrum animum, ne quid naturæ dicamus aduerſum. Deinde ſi cauſas ac rationes factis præpoſuerimus, non omnibus, ſed de quibus quæritur. Si perſonas conuenientes ijs quæ facta credi volemus, conſtituerimus: vt furti reum, cupidum: adulterij, libidinoſum: homicidij, temerarium. Vel contrà, ſi defendemus. præterea loca, & tempora, & ſimilia. Ne illud quidem fuerit inutile, ſemina quædam probationum ſpargere: verum ſic, vt narrationem eſſe meminerimus, non probationem. Nonnunquam etiam tamen argumento aliquo cõfirmabimus quod propoſuerimus, ſed ſimplici & breui: vt in ve-

Partitio narrationis tædium leuat.

Interfatione diſtinguẽda narratio

Cõmonitio in fine narrationis.

Credibilis narratio.

Semina probationũ in narratione ſpargere cõuenit. Cõfirmãdũ ſimplici argumento quod propoſuerimus.

neficijs, ſanus bibit, ſtatim concidit &c. Optimæ verò præparationes erunt quæ latuerint, vt à Cicerone ſunt quidem vtiliſſime omnia prædicta, per quæ Miloni Clodius, non Clodio Milo inſidiatus eſſe videtur. Plurimum tamen facit illa callidiſſima ſimplicitatis imitatio·Milo autem cũ in ſenatu fuiſſet eo die &c.

In quib⁹ res contra nos erit, in his diſtinguẽda genera cauſarum.

¶In quibus res contra nos erit, in his diſtinguenda ſunt genera cauſarum. nam vbi non de culpa quæritur, ſed de actione, etiam ſi erunt contra nos themata, confiteri nobis licebit, Pecuniam de templo ſuſtulit, ſed priuatam, non ideo ſacrilegus eſt. Quædam etiam quaſi non narrantes mitigabimus. Licebit & verbis quædam eleuare. luxuria hilaritatis, auaritia parſimoniæ, negligentia ſimplicitatis nomine lenietur. Vultu denique, voce, habitu, vel fauoris aliquid, vel miſerationis merebor. Solet nonnunquam mouere lachrymas ipſa confeſſio.

Cõfeſſio nõ nũq̃ lachrymas mouet.

Coniecturales autem cauſæ, in quibus de facto quæritur, non tam ſæpe rei, de qua iudicium eſt, quàm eorum per quæ res colligenda eſt, expoſitionem habent.

Notatio.

Narrandum autem eo modo & ordine quo expedit. Nec dixerim ſæpius narrare nefas: quod Cicero pro Cluentio fecit.

Narratio quare ante probationes ponatur.

Narrationem autem ideo ante probationes ponere eſt inſtitutum, ne iudex de qua re quæratur, ignoret.

Falſæ expoſitiones.

¶Sunt quædam falſæ expoſitiones: quarum in foro duplex genus eſt: alterum quod inſtrumentis adiuuatur: veluti fiducia teſtium: alterum quod eſt tuendum dicentis ingenio. Sed vtruncunque erit, prima ſit

curarum, vt id quod fingimus, fieri poſſit. deinde, vt & perſonæ & loco & tempori congruat, & credibilem rationem & ordinem habeat. ſic continget etiã veræ alicui rei cohæreat, aut argumẽto, quod ſit in cauſa, cõfirmetur. ¶ Quòd ſi pars expoſitionis pro nobis, pars contra nos erit, miſcenda ſit, an ſeparanda narratio, cum ipſa cauſæ conditione deliberandum eſt. nam ſi plura ſunt quæ nocent: quæ proſunt, obruentur. ita nunc diuidere optimum erit, & ijs quæ partem noſtram adiuuabunt, expoſitis & confirmatis, aduerſus reliqua vti remedijs. ¶ Illa quoq; de narratione præcipi ſolent, ne qua ex ea fiat excurſio: ne auertatur a iudice ſermo, ne alienæ perſonæ vocem demus, ne argumẽtemur. His ſi aliorum exemplo vtamur in hac parte, id faciendum eſt rarius, & modo adhibito: ita vt vi quadam videamur affecti, velut recto itinere pulſi. Cæterum narrationem puto omni qua poteſt gratia & venere affectibus etiam exornandam: vt puriſſimus ſermo ſit, & qui varietate tædium effugiat, ac mutationibus animum leuet. Multum confert adiecta veris credibilis rerum imago, quæ velut in rem præſentem perducere audientes videtur: quemadmodum & dicentis authoritas fidem affert: quam mereri debemus ante omnia quidem vita, ſed & ipſo genere orationis. Initium narrationis interim a noſtra, interim ab aliena perſona, vel a re ipſa, aut a circunſtantijs ſumitur. Finem ibi eſſe volunt, vbi quæſtio oritur.

Narratio, quæ partim pro nobis, partim contra nos eſt, quomodo tractanda.

Narrationis vitia.
Excurſio.
Apoſtrophe
Proſopopœia.
Argumentatio

Narratio ex ornãda õni gratia: etiã affectibus.

Narrationi fidem quæ afferant.

Initiũ narrationis vnde faciendũ & finis.

## DE EGRESSIONE.

ORdine ipſo narrationē ſequitur confirmatio. Probāda ſunt enim quæ propter hoc expoſuimus. Pleriſq; autem moris eſt, prolato rerum ordine, protinus vtique in aliquem lætum atq; plauſibilē locum quàm maxime poſſint, fauorabiliter excurrere. Ego ſanè confiteor hoc expatiandi genus nō modo narrationi quidem, ſed etiā quæſtionibus vel vniuerſis, vel interim ſingulis opportune poſſe ſubiungi, cū res poſtulat, aut certè permittit: atq; eo vel maxime illuſtrari ornariq; orationē: ſed ſi cohæret & ſequitur: nō ſi per vim cuneatur, & quæ natura iūcta erāt, diſtrahit. Nihil enim tam eſt cōſequens, q̄ narrationi probatio: niſi excurſus ille vel quaſi finis narrationis, vel quaſi initiū probationis eſt. Cauendū tamē, ne ipſa expoſitio vaneſcat, auerſis in aliud animis, & inani mora fatigatis. Sed vt nō ſemper eſt neceſſaria poſt narrationem illa procurſio, ita frequēter vtilis ante quæſtionem præparatio. Hanc partē παρέκβασιν vocāt Græci, Latini egreſſum, vel egreſſionē. nec proprie hic locus ei aſſignatur. nam quicquid dicitur præter illas quinq; (quas fecimus) partes, egreſſio eſt, indignatio, miſericordia, inuidia &c.

Egreſſio quinq; orationis partibus non adnumeratur.

## DE PROPOSITIONE.

PRopoſitio, initium videtur omnis confirmationis. Ea vt non ſemper vti neceſſe eſt, vtiq; ſi narratio ibi finem habet, vbi initium quæſtio-

ita nonnunquam valde vtilis eſt, præcipue vbi res defendi non poteſt, aut de finitione quæritur: item in cauſis obſcuris ac multiplicibus. Premit hæc confeſſionem aduerſarij, & quodammodo iudicandi moram tollit, nec indicat quæſtionem, ſed adiuuat. Sunt propoſitiones ſimplices & duplices, vel multiplices. Eas recuſatio quoq; ſiue depulſio recipit. Eſt & nuda propoſitio, qualis ferè in coniecturalibus: cædis ago: furtum obijcio. Eſt ratione ſubiecta. Maieſtatem minuit Caius Cornelius: nam codicem tribunus plebis ipſe pro concione legit. Interim etiam noſtra vtimur, vt, adulteriũ obijcio: aut communi, vt inter me & aduerſarium quæſtio eſto, vter ſit inteſtato propior. Nonnũquam eſt commonitio quædam iudicis, vt initium probationis intelligat.

Vſus propoſitionis.

Propoſitiones ſimplices & duplices.

Propoſitio nuda & ratione ſubiecta.

## DE PARTITIONE.

Partitio eſt noſtrarum, aut aduerſarij propoſitionum, aut vtrarũq; ordine collata enumeratio. Hæc vt non ſemper neceſſaria, ac etiã ſuperuacua eſt, q; vel iudex varijs artibus ſubeundus ſit, aut dura propoſitio: quædam etiam per ſe leuia & infirma, turba magis valeant: ita opportune adhibita plurimum orationi lucis & gratiæ confert: vtique ſi plura vel obijcienda ſunt, vel diluenda: vt quid quaq; de re dicturi ſumus, ordine appareat, fiantque clariora quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis: tum autem vt audiens certo ſingularum partium fine reficiatur:

Partitionis vtilitas.

non aliter, quâm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in ſcriptis lapidibus ſpatia. Hanc eſſe volumus ante omnia apertam & lucidam.

## DE VTRAQVE PROBATIONE, EX LIBRO QVINTO.

### DE PROBATIONVM DIVISIONE.

*Duplex probatio.*

PRima illa partitio ab Ariſtotele tradita, conſenſum ferè omnium meruit: alias eſſe probationes quas extra dicendi rationem acciperet orator: alias, quas ex cauſa traheret ipſe, & quodammodo gigneret. ideoque illas ἀτέχνȣς, id eſt inartificiales, has ἐντέχνȣς, id eſt, artificiales vocauerunt. Ex illo priore genere ſunt: PRAEIVDICIA, quæ authoritate eorum qui pronunciauerunt, confirmantur: & ſimilitudine rerum, de quibus quæritur. Refelluntur raró per contumeliam iudicum, niſi forte manifeſta in ijs culpa erit. RVMORES, id eſt publicum quaſi teſtimonium, aut, vt alij volunt, ſermo ſine vllo certo authore diſperſus. TORMENTA, neceſſitas quædam fatendi, vel cauſa falſa dicendi. Alijs enim patientia mendacium facit: alijs infirmi-

*Probatio inartificialis, Præiudicia quibus confirmãtur, horum nomine intelligimus rem quæ cũ ſtatuta fuerit, adfert iudicaturis exẽplum. Rumores. Tormenta.*

tas neceſſarium. TABVLAE, quæ & refellun- tur, & accuſantur ſæpiſſime. IVSIVRANDVM, quod offertur, aut recipitur oblatum. TESTES, circa hos magnus patronis ſudor eſt. Dicuntur autem teſtimonia aut per tabu- las, quæ ſimplicior pugna eſt: aut a præſenti- bus, contra quos proque his duplici acie confli- gitur: actionum, & interrogationum. Interim aduerſus ſingulos dirigitur actio. hæc in ipſis veris inſtitutionibus fuſius tractantur. ¶PARS ALTERA PROBATIONVM, tota in ar- te eſt, conſtatq; rebus ad faciendam fidem ap- poſitis. Ducitur autem aut ex antecedentibus, aut ex conſequentibus, aut ex pugnantibus, & hæc neceſſe eſt, aut ex præterito tempore, aut ex coniuncto, aut ex ſequenti petere. Nec vlla res probari niſi ex alia poteſt: eaq; ſit oportet aut maior, aut par, aut minor. Argumenta ve- ro reperiuntur, aut in quæſtionibus, aut in cau- ſa. Probationum præterea omnium aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ credibiles, aliæ non repugnan- tes. Adhuc probationum quadruplex ratio eſt. Omnis igitur probatio artificialis conſtat aut ſignis, aut argumentis, aut exemplis. ¶SIGNA diuidũtur in has ſpecies, quòd eorum alia ſunt neceſſaria, Græci τεκμήρια vocant: alia non neceſſaria, quæ σημεῖα. Priora illa ſunt, quæ ali- ter ſe habere non poſſunt: quæ mihi vix perti- nere ad præcepta artis videntur. Nam vbi eſt ſignum inſolubile, ibi ne lis quidem eſt. Hoc genus per omnia tempora perpẽdi ſolet. Nam & coiſſe eam cum viro quæ peperit, quod eſt

Tabulæ. Iuſiurandũ Teſtes. Probatio ar tificialis. Cõfirmatio. Argumẽta. Hęc ſunt de Ariſtotelis ſententia Rheto. 1. ad Theod. lib. Probatio ar tificialis qui bus conſtet. Signa dupli cia Neceſſaria. Contra Ari ſto. illud eſt & Rhod. l. Agricol.

præteriti: & fluctus eſſe, cum magna vis venti in mare incubuit, quod coniuncti: & eum mori cuius cor eſt vulneratũ, quod futuri, neceſſe eſt. Signa non neceſſaria. Alia ſunt ſigna non neceſſaria, quæ εἰκαῖα Græci vocant, quæ etiam ſi ad tollendam dubitationem ſola non ſufficiunt, tamen adiuncta cæteris plurimum valēt. *Signum* vocant (vt dixi) σημεῖον: quanquam id quidam indicium, quidam veſtigium nominauerũt, per quod res intelligitur: vt per ſanguinem cædes. potuit ille vel e naribus profluxiſſe: nec ſtatim qui cruentam veſtem habet, homicidium fecit. Sed vt per ſe non ſufficit, ita cæteris adiunctum, teſtimonij loco dicitur. Argumēta. ¶ ARGVMENTA voco, complectorque hoc nomine omnia quæ Græci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant. Quanquam apud illos aliqua horum nominum differentia eſt, etiã ſi vis eodem ferè tendit. Sed nunc de eo dicendum argumento eſt, quod probationem, indicium, fidem, aggreſſionem, eiuſdem rei nomina facit, parum diſtincte, vt arbitror. Nam probatio & fides efficitur non tantum per hæc, quæ ſunt rationis, ſed etiã per inartificialia. *Signũ* autem, quod ille indicium vocat, ab argumentis iam ſeparaui. Ergo cum ſit argumentum ratio probationem præſtans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod eſt dubium, per id quod dubium non eſt, confirmat: neceſſe eſt eſſe aliquid in cauſa, quod probatione non egeat. Alioqui nihil erit quod probemus, niſi fuerit quod aut ſit verũ, aut videatur, ex quo dubijs fides fiat.

¶Pro certis habemus, quæ ſenſibus percipiũtur: qualia ſunt ſigna. Deinde ea in quæ cõmuni opinione conſenſum eſt: Deos eſſe. Præterea quæ legibus cauta ſunt: quæ perſuaſione etiam ſi non omnium hominum, eius tamen ciuitatis aut gentis, in qua res agitur, in mores recepta ſunt: vt pleraque in iure non legibus, ſed moribus conſtant. ſi quid inter vtranque partem conuenit: hinc fiunt argumẽta: hinc etiam ſunt quæ εἰκότα dicuntur. ¶Credibilium autem genera ſunt tria: vnum firmiſſimum, quia ferè accidit: vt liberos à parentibus amari. Alterũ velut propenſius. Eum qui recte valeat, in craſtinum peruenturum. Tertium tantum non repugnans. In domo furtum ab eo factum, qui domi fuit. Omnia autẽ credibilia, in quibus pars maxima conſiſtit argumẽtationis, ex huiuſmodi fontibus fluunt: an credibile ſit à filio patrẽ occiſum: inceſtum cum filia commiſſum: & cõtrà veneficium in nouerca: adulterium in luxurioſo. ¶ Argumentorum locos appello, non vt vulgo nunc intelliguntur, vt in luxuriẽ: ſed ſedes argumentorum in quibus latent, ex quibus ſunt petenda. ¶ Petuntur autem in primis argumenta ſępe à perſona. omnia ſiquidem partimur in res, atque perſonas. Ea porrò ſunt: Genus: patrem ſequitur ſua proles. Natio: gentibus proprij ſunt mores. Patria: propter legum differentiam. Sexus: Latrocinium facilius in viro quàm fœmina credas. Aetas, Educatio, & diſciplina. Habitus corporis: ſpecies ſępe libidinis argumentum. His contraria

Pro certis quæ habeantur.

Credibilia

Loci argumentorum.

Vnde argumenta petantur.

Argumenta hæc ad perſonam.

Genus

Natio

Patria

Sexus

Aetas

Educatio & diſciplina.

Habitus corporis.

Fortuna. in diuerſum . Fortuna : non idem credibile in
Conditionis diſtantia. paupere ac diuite. Conditionis diſtantia: liber,
Animi natura. an ſeruus. Animi natura: ira, auaritia, fidem vel
Studia. adferunt, vel detrahunt . Studia, ruſticus longe
Antedicta. aliud atq; negotiator efficit. Antedicta quoque
ſpectantur, &c. ¶ Nunc ad res tranſeo, in qui-
bus maxime ſunt perſonis iuncta quæ agimus.
In omnibus porrò quę fiunt, quæritur, aut qua-
re, aut vbi, aut quando, aut quomodo, aut per
Argumenta ex rebus ducta. quæ facta ſunt. Ducuntur igitur argumenta ex
cauſis factorum vel futurorum. Nam cauſæ nō
Ex cauſis factorum. ſolum ad conuincendum quod obijcitur, ſed ad
defendendū quoq; excuti ſolent: cū quis ſe re-
Finitio. cte feciſſe honeſta cauſa cōtēdit. Finitiones in-
terim ex cauſis pendent. Locus, quo vſus eſt
Locus. Cicero pro Milone, ad coniecturam frequen-
tius pertinet, quemadmodum & ad qualitatem
Tempus. Ex antecedentibus. referri poteſt. Tempus. Ducuntur quoque ex
antecedentibus. Mortem minatus es, noctu exi-
Ex inſequentibus. ſti, proficiſcentem anteceſſiſti. Inſequentis ſunt,
latuiſti, profugiſti, liuores & tumores apparue-
Caſus. rūt. Eodem ſpectat caſus, ſed diſtinguitur pro-
prietate. Melior dux Scipio quàm Annibal, vi-
Facultas. cit Annibalem . Facultas argumentum adfert,
Inſtrumētū. facile eſt occidi pauciores à multis. Huic con-
iungūtur inſtrumentum & modus, quem τρό-
πον dicunt. Et quoniam in rebus omnibus de
Tria ſpectāda in quæſtione cuiuſque rei natura. quarum vi aut natura quæritur, tria ſine dubio
rurſus ſpectanda ſunt, an ſit, quid ſit, quale ſit.
Ducuntur etiam argumenta ex finitione, quæ
A finitione. fit aut vi, aut ἐτυμολογίᾳ . Subiecta huic
Genere. Specie. videntur, genus, ſpecies, differens, proprium

ex quibus argumenta ſumuntur. Genus ad probandam ſpeciem minimum valet, plurimum ad refellendam. Itaque non quia eſt arbor, platanus eſt. A genere igitur perueniendũ eſt ad vltimam ſpeciem: vt, homo eſt animal, non eſt ſatis (id enim genus eſt) mortale: etiam ſi ſpecies eſt, cũ alijs tamen communis finitio. rationale: nihil ſupererit ad demonſtrandum id quod velis. Contra ſpecies firmam probationẽ habet generis, infirmam refutationem. Nam quod iuſtitia eſt, vtique virtus eſt. quod non eſt iuſtitia, poteſt eſſe virtus: vt, fortitudo. & cætera. Nunquam itaque tolletur à ſpecie genus: niſi omnes ſpecies quæ ſunt generi ſubiectæ, remoueantur, hoc modo. Quod neque immortale eſt, neque mortale, animal non eſt. His adijciunt propria & differentia. Proprijs confirmatur finitio: differentibus ſoluitur. Proprium autem eſt quod ſoli accidit: vt homini ſermo, riſus: aut quod vtiq; accidit, ſed non ſoli: vt igni calefacere. Itaque quodcunque proprium deerit, ſoluet finitionem: non vtique quodcunque erit, confirmabit. Quæritur hoc ſæpe per ἐτυμολογίαν. Quod autem proprium non erit, differens erit: vt, aliud eſt ſeruum eſſe, aliud ſeruire: qualis eſſe in addictis quæſtio ſolet. Differens autem vocant, cum genere in ſpeciem diducto, ſpecies ipſa diſcernitur. Animal, genus: mortale, ſpecies: terrenum vel bipes, differens. Pertinent ad coniecturæ quoque partem propria, vt proprium eſt boni, recte facere: iracundi, verbis excandeſcere. Contra quædam in

*Proprium.*

*Differens.*

*Propria ad coniecturæ partem ſpectant.*

Diuiſio ad probandum & refellēdū valet.

quibuſdam non ſunt. Diuiſio & ad probandum ſimili via valet, & ad refellendum. Probanti interim ſatis eſt vnum habere, hoc modo: vt ſit ciuis, aut natus ſit oportet, aut factus. Neganti, vtrunque tollendum eſt: nec natus, nec factus eſt. Fit hoc & multiplex. Idq; eſt argumen-

Argumētū ex remotiōe

torū genus ex remotione, quo modo efficitur totum falſum: modo id quod relinquitur verū, totum falſum eſt, hoc modo. Pecuniam te crediſſe dicis? aut habuiſti ipſe, aut ab aliquo accepiſti, aut inueniſti, aut ſurripuiſti. Si neque domi habuiſti, neque ab alio accepiſti, nec cætera, non crediſti. Reliquum verum fit ſic. Hic ſeruus, quem tibi vendicas, aut verna tuus eſt, aut emptus, aut donatus, aut teſtamento relictus, aut ex hoſte captus, aut alienus. Deinde remotis prioribus, ſupererit, alienus. Fit & ex duobus, quorum neceſſaria eſt alterutrum eligendi aduerſario poteſtas: efficitúrq; vt vtrū elegerit, noceat: ſuntq; ea argumenta inuicem ſe probantia. Nam ex initijs ſumma

Ab initio.

colligitur: vt, Non dominationis cauſa Syllam arma accepiſſe, argumentum eſt dictatura depoſita. Similiter ex incremento: An ei cædes imputanda ſit, à quo iurgium cœpit. Eſt ar-

A ſimilibus

gumentorum locus ex ſimilibus. Si continentia virtus, vtique & abſtinentia. Greci hoc ἐπαγωγὴν vocant, Cicero inductionem. Ex diſſi-

Epagoge inductio.

A diſſimilibus.

milibus. Non ſi lætitia bonum, & voluptas. Ex

A cōtrarijs.

contrarijs. Frugalitas bonum: luxuria enim ma-

Ex repugnātibus.

lum. Ex repugnantibus. Qui ſtultus, ſapiens

Ex adiūctis

non eſt. Ex conſequentibus ſiue adiunctis. Si

iuſtitia eſt bonum, recte iudicandum. A cauſis. Corpus in lumine vmbram facit: & vmbra vbicũq; eſt, ibi corpus eſſe oſtẽdit. Fit hoc interim neceſſario, interim nõ neceſſario. Sol colorat: nõ vtique qui coloratus eſt, a ſole eſt. ſed cauſæ omnino non ſunt ab vltimo repetendæ. his coniugatum argumentum adijcitur, Quod compaſcuum eſt, compaſcere licet. Sed argumenta a cauſis alij vocant ἐκβάσεις, id eſt exitus. Appoſita vel comparatiua dicuntur, quæ maiora ex minoribus, minora ex maioribus, paria ex paribus probant. Confirmatur coniectura ex maiori. Si quis ſacrilegium facit: faciet & furtum. Ex minore. Qui facile ac palam mentitur, peierabit. Ex pari. Qui ob rem iudicandam, pecuniam accipit, & ob dicendum falſum teſtimonium accipiet. Hęc tamen ad iuris confirmationem, item & finitiones alio modo tractantur. Ex difficiliori: vt illud Ciceronis. Vide quæſo Tubero, vt qui de meo facto non dubitem, de Ligarij audeam confiteri. Sed comparatio in plures diducitur ſpecies. Item a fictione, quam Græci καθ' ὑπόθεσιν vocant. Et quidem ex omnibus iiſdem locis, quibus ſuperiora: quia totidem ſpecies eſſe poſſunt fictæ, quot veræ: hoc exemplo. Lex eſt, qui parentes non aluerit, vinciatur. Vtitur fictione, ſi miles, ſi infans ſit, ſi Reipubli. cauſa abſit. A circunſtantia: vt in illo adultero ſacerdote, qui lege qua vnius ſeruandi poteſtatem habeat, ſe ipſe ſeruare voluit: proprium eſt controuerſiæ dicere, Non vnum nocentem ſeruabis, quia te ad-

A cauſis.

Cõiugatum argumẽtum

Appoſita vel comparatiua arg. A maiore

A minore.

A pari.

Ex difficiliore.

A fictione.

A circũſtantia.

ulteꝛo dimiſſo, adulteram occidere non licebit. Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram ſine adultero occidi. Non minus in hoc curæ debet adhiberi, quid proponendū, quàm quomodo ſit, quod propoſueris, probandum. hic omnino vis inuentionis ſi non maior, certe prior: quod ſane comprehendi arte non poſſit. ideoque cum plures eadem didicerint, generibus quidem argumentorum ſimilibus vtentur: alius tamen alio plura, quibus vtatur, inueniet. Habes exempli huius propoſitam cōtrouerſiam de Theſſalis & Thebanis apud Fabium lib. 5. cap. 10.

*Lex adulterij.*

## DE EXEMPLIS.

*De exēplis.*

TErtium eſt genus ex ijs quæ extrinſecus adducuntur in cauſam, Græci vocant παράδειγμα, noſtri ſimilitudinem, quę ab illis parabole dicitur: appellemus vtrunque παράδειγμα: à quo Cicero collationem ſeparat. idem argumentationem in duas partes diuidit: inductionem, & ratiocinationem: vt pleriq; Græcorū in παραδείγματα & ἐπιχειρήματα, dixerūtq; παράδειγμα ῥητορικὴν ἐπαγωγὴν. Sed quod in inductione interrogatur, illud in exemplo fere ſumitur: vt, quod eſt pomum generoſiſſimum? nonne quod optimum? In teſtium interrogatione hoc plurimum valet. Ex hoc genere omnia ſunt ſimilia aut diſſimilia, aut contraria. Potentiſſimum autem eſt inter ea quæ ſunt huius generis, quod proprie vocamus exemplum, id eſt rei geſtæ, aut vt geſtæ

*Inductio in teſtiū interrogatione plurimum valet.*

*Exēpli definitio.*

vtilis ad perſuadendum id quod intenderis, cōmemoratio. Intuendum igitur, totum ſimile ſit, an ex parte: vt aut omnia ex eo ſumamus, aut quæ vtilia erunt. Simile eſt. Iure eſt occiſus Saturninus, ſicut Gracchi. Diſſimile. Brutus occidit liberos proditionem molientes. Mālius virtutem filij morte mulctauit. Contrariū. Marcellus ornamenta Syracuſanis hoſtibus reſtituit: Verres eadem ſocijs abſtulit. Vtilis etiam ſimilium admonitio. Dionyſius idcirco petit cuſtodes ſalutis ſuę, vt eorum adiutus armis tyrānidem occupet. ſimili ratione Piſiſtratus ad dominationem peruenit. Sunt eiuſmodi exempla tota ſimilia, interim ex maioribus ad minora: & minoribus ad maiora. Ad exhortationem valent imparia. Admirabilior in fœmina quàm in viro virtus. Sed ſingula horum generum exempla pulcherrima ſunt apud Ciceronem. Quædam ſignificaſſe ſatis erit. Eadem quoque ratio eſt eorum quæ ex poeticis fabulis ducuntur, niſi quòd ijs minus affirmationis adhibetur. ¶ Proximas exemplo vires habet ſimilitudo ducta citra vllam tranſlationum mixturam ex rebus pene paribus. παραβολὴ ſane, quam Cicero collationem vocat, longius res que comparantur, repetere ſolet. Admonendū tamen rarius eſſe in oratione illud genus, quod εἰκόνα Græci vocant, in quo exprimitur rerum aut perſonarum imago: vt illud Ciceronis. Vt corpora noſtra ſine mente, ita ciuitas ſine lege, ſine patribus, vt neruis ac ſanguine & membris vti non poteſt. Illud etiam

A ſimili.

A diſſimili.

A contrario

A ſimili

Ab imparibus.

Ex poeticis fabulis.

Similitudo.

Parabola.

Ab imagine

Argumenta ex iure ſimili. annotandum, argumenta duci ex iure ſimili: vt Cicero in Topicis. Ei cui domus vſusfructus relictus ſit, non reſtituturum hæredem, ſi corruerit: quia non reſtituat ſeruum, ſi is deceſſerit. Ex cõtrario Ex contrario nihil obſtat quo minus iuſtum patrimonium ſit mente coeuntium, etiam ſi tabulæ ſignatæ non fuerint. Nihil enim proderit ſignaſſe tabulas, ſi mentem matrimonij non fuiſſe conſtabit. Ex diſſimili Ex diſſimili: quale eſt Ciceronis pro Cecinna, vt ſi quis me exire domo coegiſſet armis, haberem actionem: ſi quis introire prohibuiſſet, non haberem. Analogia. Huic generi analogiam ſubiectam putamus. Si turpis dominæ conſuetudo cum ſeruo: turpis domini cum ancilla. Cui rei facillime occurrit ex diſſimilibus argumentatio. Non idem eſt dominum cũ ancilla coiſſe, quod dominam cum ſeruo, imò ex contrarijs: quia mutis, ideo non rationabilibus. Adhibetur extrinſecus in cauſam & authoritas. Ab authoritate. Ponitur à quibuſdam, & quidem in parte prima, deorum authoritas, quæ eſt ex reſponſis: Ex deorum oraculis. vt Socratem eſſe ſapientiſſimum. id rarum eſt. vtitur eo tamen Cicero. quæ cum propria cauſę ſint, Diuina teſtimonia. diuina teſtimonia vocantur: cum aliunde accerſuntur, argumenta. His alia addi poſſunt. De vſu argumentorum. ¶ NVNC DE VSV ARGVMENTORVM dicemus. Traditum fere eſt argumentum oportere eſſe confeſſum. Dubijs enim probari dubia qui poſſunt? Quædam tamen quæ in alterius rei probationem ducimus, ipſa probanda ſunt. Occidiſti virum. eras enim adultera. Prius de adulterio conuincendum eſt

vt cum id cœperit eſſe pro certo, fiat incerti argumentum. Hinc ſciẽdum, nulla eſſe firmiora, quàm quæ ex dubijs facta ſunt certa. Cædes a te facta eſt: cruentam enim veſtem habuiſti. Non eſt tam graue argumentum, ſi fatetur, quàm ſi conuincitur. Nam ſi fatetur, multis ex cauſis potuit cruenta eſſe veſtis. Si negat, hic cauſæ cardinem ponit: in quo ſi victus fuerit, etiam in ſequentibus ruit. Non enim videtur in negando mentiturus fuiſſe, niſi deſperaſſet id poſſe defendi, ſi confiteretur. firmiſſimis argumentorum ſingulis inſtandum. Infirmiora congreganda ſunt: quia illa per ſe fortia non oportet circunſtantibus obſcurare: vt qualia ſunt, appareant. Hæc imbecilla natura, mutuo auxilio ſuſtinentur. Itaq; ſi non poſſunt valere, quia magna non ſunt: valebunt, quia multa ſunt, quæ ad eiuſdem rei probationem omnia ſpectant: vt ſi quis hæreditatis gratia hominem occidiſſe dicatur. Hæreditatem ſpectabas magnam, & pauper eras, & tum maxime a creditoribus appellabaris, & offenderas eum cuius hæres eras, & mutaturum tabulas ſciebas. Singula leuia ſunt & cõmunia, vniuerſa vero nocent, etiam ſi non vt fulmine, tamen vt grandine. Quædam argumenta ponere ſatis non eſt, niſi adiuuentur: vt ſi ira ſceleris cauſa fuit, oſtendendum quantum efficiat in animis hominũ talis affectio. Multum etiam refert, ſi argumẽto nitemur odij, vtrum hoc ex inuidia ſit, an ex iniuria &c. Nec tamen omnibus ſemper, quæ inuenerimus, argumentis one-

Secũdi præcepti argumentum.

Notatio. Tertium.

Quartum præceptum

Quintum.

Sextum.

Septimum. Octauum.

randus eſt iudex, quia præter tædium, etiam fidem detrahunt. In rebus apertis argumentari omnino ſtultum. His quidam probationes adijciunt, quas παθητικὰς vocant, ductas ex affectibus:

Nonum.

vt quemadmodum primum eſt, vt orator vir ſit optimus, ſic ſecundum, vt videatur.

Decimum.

Intuẽdum qui ſit apud quẽ dicimus, & id quod illi maxime probabile videatur, requirendum.

Vndecimũ. Duodecimũ

Eſt ex aſſeueratione probatio Ego hoc feci? tu mihi hoc dixiſti? Illæ firmiores ex ſua cuiuſque perſona probationes, quæ credibilem rationem ſubiectam habent: vt vulneratus, aut filio orbatus non fuerit aliũ accuſaturus quàm nocentem: quando ſi negotium innocenti facit, liberet eum noxa qui admiſerit.

Decimum tertium.

Argumenta autem ordinabuntur, prout cauſæ ratio poſtulabit: vno excepto, ne a potentiſſimis ad leuiſſima decreſcat oratio.

## DE REFVTATIONE.

De refutatione.

Refutatio dupliciter accipi poteſt. nam defenſoris pars tota eſt poſita in refutatione: & hæc eſt propriè cui in cauſis quartus aſſignatur locus: vtriuſq; ſimilis cõditio.

Difficilius defendere quàm accuſare.

At non ſine cauſa creditum, tanto eſſe accuſare quàm defendere, quanto facere quàm ſanare vulnera, facilius.

In refutatione quid primũ ſpectandum.

Primum igitur intuendum eſt id cui reſponſuri ſumus, proprium ſit eius iudicij, an ad accuſandũ extrà accerſitum. Nam ſi eſt proprium, aut negandum, aut defendendum, aut transferendum. Extra hæc in iudicijs ferè nihil eſt, Deprecatio quidem, quæ eſt ſine

vlla ſpecie defenſionis, rara admodum, & apud eos ſolum iudices, qui nulla certa forma pronunciandi tenentur. Primum omnium nõ erit res nobis cum aduerſario, ſed cum iudice: deinde forma deliberatiuæ magis materiæ quàm iudicialis vtemur. Suadebimus enim vt laudem humanitatis potius, quàm voluptatem vltionis concupiſcat. Apud iudices quidem ſecundum legem dicturos ſententiam de confeſſis præcipere, ridiculum eſt. Ergo quæ neq; negari, neq; transferri poſſunt, vtiq; defendenda ſunt, qualiacunq; ſint, aut cauſa cedendum. Negandi forma duplex: aut non eſſe factum: aut non hoc eſſe, quod factum ſit. Quæ neq; defendi, neque transferri poſſunt, vtique neganda. Nec ſolum ſi finitio eſſe poteſt pro nobis, ſed etiam ſi nuda inficiatio ſupereſt. In teſtes multa dicere licet. Vtiq; nihil peius quàm cõfeſſio. Vltima eſt actionis controuerſia, cũ defendendi negãdive non eſt locus, translatio. Videndum etiam, an ſimul nobis plura aggredienda, an amolienda ſingula. Plura inuadimus, ſi infirma ſint: tamẽ toto corpore enitendum eſt. Si ſingula quæque diſſolueris, ibi minor impetus erit & affectus. Igitur propoſitio quoque ſecundum hanc vtilitatem accommodabitur, vt ea nunc ſingula oſtendamus, nunc complectamur vniuerſa. Id quoq; (obſcurum vocant) quod ſecretò & ſine teſte aut argumento dicitur factum, ſatis natura ſua infirmum eſt. Sufficit enim quòd aduerſarius non probat. Item ſi ad cauſam non pertinet. Eſt tamen interim oratoris efficere,

Nota.

Negãdi forma duplex.

Quãdo negandum.

Nihil peius cõfeſſione.

Vltima controuerſia translatio.

Propoſitio accõmodabitur refutationi.

vt quid aut contrarium eſſe, aut a cauſa diuer-
ſum,aut incredibile,aut ſuperuacuum, aut no-
ſtræ potius cauſæ videatur eſſe coniunctũ.Cæ-
tera quæ proponuntur,cõmunes locos habent,
coniecturæ,finitionis,qualitatis.Intuendum &
illud in toto genere actionis, an crudele quip-
piam ſit,vt Labieni in Rabirium lege perduel-
lionis.Inhumanũ,vt Tuberonis Ligarium exu-
lem excuſantis &c. Superbum,vt in Oppium.
Nonnunq̃ tamen quædam contemnuntur, vel
tanquam leuia, vel tanquam ad cauſam nihil
pertinentia.Multis hoc locis facit Cicero.Quo-
niam vero maxima pars eorum ſimilibus con-
ſtat, rimandum erit diligentiſſime, quid ſit in
quoq; quod aſſumitur diſſimile. Exempla rerũ
variè tractanda ſunt ſi nocebunt :quæ ſi dubia
erunt, fabuloſa dicere licebit : ſin vera,maxi-
me quidem diſſimilia. Idem de iudicatis ob-
ſeruandum.Præterea in contradictionibus in-
terim totum crimen exponitur:vt Cicero pro
Scauro cõtra Boſtarem facit,velut orationem
diuerſæ partis imitatus. Aut pluribus propoſi-
tionibus iunctis, vt pro Vareno. Cum iter per
agros &c.Interim per partes diſſoluitur : quod
contextu nocet, & plerunq; eſt tutius. Sunt &
quædam contradictiones natura ſingulæ. id
exemplis non eget.Communia bene apprehẽ-
duntur,non tantum quia vtriuſque ſunt partis,
ſed quia plus proſunt reſpondenti.Commune
autem qui prior dicit, contrarium facit. Arti-
ficis ſanè eſt inuenire in actione aduerſarij,
quæ inter ſemetipſa pugnant : aut pugnare vi-

In toto genere actionis quid ſpectandum.

Contẽnẽda quædam.

Similium refutatio.

Exẽpla quomodo refutentur.

Iudicatorũ refutatio.

Triplex ratio exponẽdi criminis in contradictionibus.

Communis cõtradictio

Notatio.

deantur. Illa magis vitioſa dicuntur, quàm acute reprehenduntur: argumentum dubium pro neceſſario, cõtrouerſum pro confeſſo, commune pluribus, propriũ, vulgare, ſuperuacuum, ſerius conſtitutum, contra fidem: quæ vitia parum cautis accidunt. Circa cõtradictiones duobus vitijs pleriq; laborant. Nam quidam in foro quanquam moleſtam rem prætereunt, contenti ijs quæ domo compoſita attulerunt, ſine aduerſario dicunt. Alij diligentia lapſi, ſententiolis omnibus reſpondendum putant. Illæ tamen reprehenſiones obſcuritatis, qualis in Rullum fuit: aut infantiæ in dicẽdo, qualis in Piſonem: aut inſcitiæ rerum verborumque, & inſulſitatis etiam, qualis in Antonium eſt, accommodãtur iuſtis odijs: ſuntq; vtiles ad conciliandum ijs quos inuiſos facere volueris, odium. Alia reſpondendi patronis ratio, & aliquando non eorum ratio modo, ſed vita etiam, vultus deniq;, inceſſus, habitus rectè incuſari ſolet. Defenſionis permutatio omnino vitioſa. Declamatores vero in primis ſunt admonendi, neu contradictiones eas ponant, quibus facillimè reſponderi poſſit: neu ſibi ſtultum aduerſarium fingant. Ridiculum ſanè eſt in exercitationibus, quæ foro præparantur, prius cogitare quid reſponderi, q̃ quid ex diuerſo dici poſſit. Vitiũ porrò eſt in contradictione totos etiam locos exponere: aut nimium ſolicite, ac circa omnia momẽta luctari: quæ res cauſam iudici ſuſpectam facit. Ordo facilis. Nam ſi agimus, noſtra confirmanda ſunt primum: tum quæ noſtris

Reprehẽſu facilia vitia.

Vitia contra dicentium.

Reprehenſioque odiũ parit illi quẽ iuiſum facere volumus.

Vitioſa defenſionis permutatio

Vitia refutationis.

Ordo probationis & refutationis in agendo.

opponuntur refutanda. Si reſpondemus: prius incipiendum eſt a refutatione. Videndum præcipue vtriq; parti, vbi ſit rei ſumma. Nam ferè accidit, vt in cauſis multa dicantur: de paucis iudicetur.

## QVIBVS CONSTET EPIcheirema.

Duplex enthymematis elocutio.

ENthymema & argumētum ipſum id eſt rem quæ probationi alterius adhibetur, appellant, & argumenti elocutionem. Ea duplex eſt: ex

Ex cōſequētibus.

Conſequentibus, quod habet propoſitionem, coniunctamq; ei protinus probationem: quale pro Ligario: Cauſa tamen dubia, quòd erat aliquid in vtraq; parte quod probari poſſet. Nunc etiam melior ea iudicanda eſt, quam dij adiuuerunt. Habet rationem & propoſitionem, non habet concluſionem. Ita eſt ille imperfectus ſyllogiſmus. Ex pugnantibus,

Ex repugnātibus.

quod etiam ſolum quidam Enthymema putant, fortior multo probatio eſt: quale eſt pro Milone: Eius mortis ſedetis vltores, cuius vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis. Solet hoc multiplicari. Optimum enthymematis genus, cum propoſito diſſimili vel contrario, ratio ſubiungitur. ¶Epicheirematos qua-

Epicheirematos partes,

tuor, quinq;, ſex etiam factæ ſunt partes a quibuſdam. Cicero quinque defendit: vt ſit propoſitio, deinde ratio eius: tum aſſumptio, & eius probatio: quinta, complexio. Mihi & plurimis nihilominus authoribus tres ſolummodo videntur. prima, intentio: ſecunda, aſſumptio: tertia,

connexio. Nam confirmatio primæ, ac ſecundæ partis exornatio eiſdē cedere poſſunt quibus ſubijciuntur. Apud Ciceronem paſſim videre eſt quinque partium exemplum. In tribus autem, quas nos fecimus, partibus, non eſt forma ſemper eadem, ſed vna in qua idem concluditur quod intenditur. Quicquid ex ſeipſo mouetur, immortale eſt. Anima autem ex ſe ipſa mouetur. Immortalis igitur eſt anima. Altera eſt complexio non par intentioni, ſed vim habens parem. Mors nihil ad nos. Nam quod eſt diſſolutum, ſenſu caret. Quod autem ſenſu caret, nihil ad nos. In alio genere non eadem propoſitio eſt, quæ connexio. Omnia animalia meliora ſunt quàm inanima. Nihil autem melius eſt mundo. Mundus igitur animal. Hic poteſt videri de re contentio. Potuit enim ſic conſtitui ratiocinatio. Animal eſt mundus. Omnia enim animalia meliora ſunt quàm inanima. Epicheirema autem nullo differt à ſyllogiſmis, niſi quòd illi & plures habēt ſpecies, & vera colligunt veris, Epicheirematis frequentior circa credibilia eſt vſus. Nam ſi contingeret ſemper controuerſa confeſſis probare, vix eſſet in hoc genere vſus oratoris. Aliquando etiam ſufficiūt intentio & ratio. Silent leges inter arma, nec ſe expectari iubent: cum ei qui expectare velit, antè iniuſta pœna luenda ſit quàm iuſta repetenda. Ideoque id enthymema, quod eſt ex conſequētibus, rationi ſimile dixerunt. Enthymema ab alijs, oratorius ſyllogiſmus, ab alijs pars dicitur ſyllogiſmi: propterea quòd ſyllo-

Formæ partiū epicheirematos variæ.

Prima forma.

Secunda.

Tertia forma.

Epicheirema & ſylligiſmus quo differunt.

giſmus vtique concluſionem & propoſitionem habet: & per omnes partes efficit quod propoſuit. Enthymema tantum intentum intelligi cõtentum ſit. Syllogiſmus talis. Solum bonum virtus. Nam id demum bonum eſt, quo nemo malè vti poteſt. Virtute nemo malè vti poteſt. Bonum ergo virtus. Enthymema ex conſequentibus. Bonum eſt virtus, qua nemo malè vti poteſt. Ex pugnantibus. An bonum eſt pecunia, qua quiſq; poteſt malè vti?

## EX LIBRO SEXTO FABII.

### DE PERORATIONE.

Peroratio.

PEroratio ſequebatur: quam cumulum quidã, concluſionem alij vocant. Eius duplex ratio eſt: poſita aut in rebus: aut in affectibus. Rerum repetitio & congegatio: quæ græce dicitur ἀνακεφαλαίωσις, a quibuſdam Latinorũ enumeratio, & memoriam iudicis reficit, & totam ſimul cauſam ponit ante oculos: & etiam ſi per ſingula minus moueat, turba valet. In hac quæ repetemus, quambreuiſſime dicenda ſunt: &, quod græco verbo patet, decurrendum per capita. Cæterum illud conſtitit inter omnes, etiam in

Enumeratio

alijs partibus actionis: ſi multiplex cauſa ſit, & pluribus argumentis defenſa viriliter, ἀνακεφαλαίωσιν fieri ſolere: ſicut nemo dubitauerit multas eſſe cauſas, in quibus nullo loco ſit neceſſaria: ſi breues, & ſimplices fuerint. Hæc pars perorationis accuſatori patronóque æque communis eſt. Affectibus quoq; eiſdem fere vtuntur: ſed rarius hic, ille ſæpius, ac magis. Nam huic concitare iudices, illi flectere conuenit. Verum & accuſator habet interim lachrymas ex miſeratione eius rei quam vlciſcitur: & reus de indignitate, calumnia conſpirationis vehementius interim queritur. Eſt igitur vtriſque cõmune, conciliare ſibi, auertere ab aduerſario iudicem: concitare affectus, & componere. Et breuiſſimum quidem hoc præceptum dari vtrique parti poteſt, vt totas cauſæ ſuæ vires orator ante oculos ponat: & cum viderit quid inuidioſum, fauorabile, inuiſum, miſerabile aut ſit in rebus, aut videri poſſit: ea dicat, quibus, ſi iudex eſſet, ipſe maxime moueretur. Sed certius eſt ire per ſingula. Et quæ conciliant quidem accuſatorem: in præceptis exordij iam diximus. Quædam tamen quæ illic oſtendere ſatis eſt, in peroratione implenda ſunt magis: ſi contra impotentem, inuiſum, pernicioſum ſuſcepta cauſa eſt: ſi iudicibus ipſis, aut gloriæ damnatio rei, aut deformitati futura abſolutio. Atrocitas creſcit ex his: quid factum ſit: à quo: in quem: quo animo: quo tempore: quo loco: quo modo: quæ omnia infinitos anfractus habent. Item in theatro, in templo,

Atrocitas ex quibus creſcat.

in concione creſcit inuidia. Vtitur frequenter accuſator & miſeratione: cum aut eius caſum quem vlciſcitur, aut liberorum, aut parentum ſolitudinem conqueritur. Docēdi interim quoqꝫ iudices, quid rogantibus reſpondere debeāt: quod eſt vnum repetitionis genus. Periclitantem vero commendat dignitas: & ſtudia fortia: & ſuſceptæ bello cicatrices: & nobilitas: & merita maiorum. Hoc quod proxime dixi, Cicero atqꝫ Aſinius certatim ſunt vſi: pro Scauro patre hic: ille pro filio. Commendatur cauſa periculi, ſi ſuſcepiſſe inimicitias ob aliquod factum honeſtum videtur: præcipue bonitas, humanitas, miſericordia. Iuſte enim tunc petere ea quiſqꝫ videtur a iudice, quæ alij ipſe præſtiterit. Referenda hæc pars quoqꝫ ad vtilitatē Reipublicæ, ad iudicum gloriam, ad exemplum, ad memoriam poſteritatis. Plurimum tamen valet miſeratio: quę iudicem flecti non tātum cogit, ſed motum quoque animi ſui lachrymis confiteri. Nonnūquam etiam & ipſe patronus has partes ſubit: vt Cicero pro Milone: O me miſerum: O te infœlicem. His præcipue locis vtiles ſunt Proſopopœiæ, id eſt fictę alienarum perſonarum orationes, quales litigatorem decēt, vel patronum. Non patiamur igitur frigeſcere hoc opus: & affectum cū ad ſummum perduxerimus, relinquemus: nec ſperemus fore, vt aliena quiſquam diu ploret. NON ſolum autem dicendo, ſed etiam faciēdo quædam lachrymas mouemus. Sordes, & ſqualores, & propinquorum quoqꝫ ſimilem ha-

Dignitas cō mēdat periclitantem.

Cauſæ commendatio.

Miſeratio.

Proſopopœia

bitum ſcio profuiſſe, & magnum ad ſalutem momentum preces attuliſſe. Quare & obſecratio illa iudicum, per chariſſima pignora, vtique ſi & reo ſint liberi, coniunx, parentes, vtilis erit. Et deorum etiam inuocatio: velut ex bona conſcientia profecta videri ſolet. Stratum denique iacere, & genua complecti: niſi tamen perſona nos, & anteacta vita, & rei conditio prohibebit. Vt autem eſt longe vehementiſſimus hic cum inualuit affectus: ita ſi nihil efficit, tepet: quem melius infirmus actor tacitis iudicum cogitationibus reliquiſſet. Nam & vultus, & vox, & ipſa illa excitati rei facies, ludibrio etiam plerunq; ſunt hominibus, quos non permouerunt. Quare metiatur, ac diligenter æſtimet vires ſuas actor: & quantum onus ſubiturus ſit, intelligat. Nihil habet iſta res medium: ſed aut lachrymas meretur, aut riſum. At hic, ſi vſquã, totos eloquentiæ aperire fontes licet. Nam ex ijs, ſi bene diximus reliqua, poſſidemus iam iudicum animos: & e cõfragoſis atq; aſperis euecti, tota pandere poſſumus vela: & cum ſit maxima pars epilogi amplificatio: verbis atq; ſententijs vti licet magnificis atq; ornatis. Nunc de diuiſione affectuum. ℭ VBI VERO animis iudicum vis afferenda eſt, & ab ipſa veri contemplatione abducenda mens: ibi propriũ oratoris opus eſt. Hoc non docet litigator: hoc libellis non continetur. Probationes enim efficiunt ſane vt cauſam noſtram meliorem eſſe iudices putent: affectus prȩſtant vt etiam velint. Sed id quia volunt, credunt quoque. Huc igi-

Affectus.

De diuiſione affectuũ

tur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor eſt:ſine quo cætera nuda, ieiuna, infirma, ingrata ſunt. Adeo velut ſpiritus operis huius atque animus eſt in affectibus. Horum autem, ſicut antiquitus traditum accepimus, duæ ſunt ſpecies:alteram Græci πάθος vocant: quam nos recte vertentes ac proprie affectum dicimus: alteram ἦθος: cuius nomine, vt ego quidem ſentio, caret ſermo Romanus:mores appellantur:atq; inde pars quoq; illa philoſophiæ ἠθικὴ moralis eſt dicta. Sed ipſam rei naturam ſpectanti mihi, non tam mores ſignificari videntur, quàm morum quædam proprietas. Nam ipſis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores voluntatem complecti, quàm nomina interpretari maluerunt. Affectus igitur hos concitatos, πάθος: illos mites atque compoſitos, ἦθος eſſe dixerunt: in altero vehementer commotos:in altero lenes:denique hos imperare:illos perſuadere: hos ad perturbationē, illos ad beneuolentiam prȩualere. Propria tamen mihi vis nominis & exprimenda natura eſt:quatenus appellatione ipſa non ſatis ſignificari videtur: ἦθος quod intelligimus, quodq; à docentibus deſideramus, id erit, quod ante omnia bonitate commendabitur, non ſolum mite ac placidum, ſed plerunq; blandum & humanum, & audiētibus amabile, atq; iucūdū:in quo exprimendo ſumma virtus ea eſt, vt fluere omnia ex natura rerum hominúmque videantur: & quo mores dicentis ex oratione perluceant, & quodammodo agnoſcantur. Nōnunquam etiā

Affectuum duæ ſpecies

lenis alieni caloris deriſus ex hac forma venit: ſed non his a locis tantum, verum aliquãto magis propriæ ſunt virtutes ſimulationis, ſatiſfaciendi, rogandi, & εἰρωνείας, quæ diuerſum ei quod dicit, intellectum petit. Hinc etiam ille maior ad concitandum odium naſci affectus ſolet, cum hoc ipſo quo nos aduerſarijs ſubmittimus, intelligitur tacitæ impotentiæ exprobratio. Diuerſum eſt huic quod πάθος dicitur: quódque nos affectum proprie vocamus. & vt proxime vtriuſque differentiam ſignem, illud comœdię, hoc tragœdię ſimile. Hęc pars circa iram, odium, metum, inuidiam, miſerationem, fere tota verſatur. Quæ quibus ex locis ducenda ſunt, & manifeſtum omnibus, & a nobis in tatione procemij atque epilogi dictum eſt. Et metum tamen duplicem intelligi volo: quẽ patimur, & quem facimus. Et inuidiam. Nanque altera inuidum, altera inuidioſum facit. Hoc autem hominis, illud rei eſt, in quo & plus operis habet oratio. Nam quædam videntur grauia per ſe, parricidium, cædes, veneficium: quædam efficienda ſunt. Id autem contingit cum magnis alioqui malis grauius eſſe id quod paſſi ſumus, oſtenditur: quale eſt apud Vergil. O felix vna ante alias Priameia virgo, Hoſtilem ad tumulum Troię ſub mœnibus altis Iuſſa mori. In hoc autem eloquentię vis eſt, vt iudicem non ad id tantum compellat, in quod ipſe a rei natura duceretur, ſed aut qui non eſt, aut maiorem quàm eſt, facias affectum. Hæc eſt illa quæ δείνωσις vocatur, rebus indignis,

Ironia. Duplex metus. Vis oratiõis

aſperis,inuidioſis,addens vim oratio. *Summa* tamen(quantum ego quidem ſentio)circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, vt moueamur ipſi.Nam & luctus,& iræ,& indignationis aliquãdo ridicula fuerit imitatio,ſi verba,vultúmque tantum, non etiam animum accommodauerimus.In ijs igitur quæ veriſimilia eſſe volumus,ſimus ipſi ſimiles eorum qui vere patiuntur affectibus, & à tali animo proficiſcatur oratio,qualem facere iudicem volet. An ille dolebit,qui audiet me,cum hoc dicam,non dolentem? iraſcetur, ſi nihil ipſe, qui in iram concitat,idque exigit,ſimile patietur?ſiccis agenti oculis lachrymas dabit? fieri non poteſt.At quomodo fiet,vt efficiamur?Neque enim ſunt motus in noſtra poteſtate. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas φαντασίας Græci vocãt,nos ſane viſiones appellemus, per quas imagines rerum abſentium ita repræſentantur animo, vt eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur.Has quiſquis bene conceperit,is erit in affectibus potentiſſimus. Inſequitur ἐναργία, quæ à Cicerone illuſtratio, & euidentia nominatur:quæ non tam dicere videtur quàm oſtẽdere:& affectus non aliter quàm ſi rebus ipſis interſimus,ſequentur.

Phantaſiæ.

DE RISV.

Riſus.

HVic diuerſa virtus, quæ riſum iudicis mouendo,& illos triſtes ſoluit affectus,& animũ ab intentione rerum frequenter auertit, & aliquando etiam reficit, & à ſa-

rietate, vel à fatigatione renouat. Quanta ſit autem in ea difficultas, vel duo maximi oratores alter græcæ, alter latinæ eloquentiæ principes, docent. Nam plerique Demoſtheni facultatem huius rei defuiſſe credūt, Ciceroni modū. Anceps eius rei ratio eſt, quòd à deriſu non procul abeſt riſus. Habet enim, vt Cicero dicit, ſedem in deformitate aliqua, & turpitudine, quæ cum in alijs demonſtrantur, vrbanitas: cum in ipſum dicentem recidunt, ſtultitia vocatur. Cum videatur autem res leuis, & quæ à ſcurris, mimis, inſipientibus denique ſæpe moueatur, tamen habet vim neſcio an imperioſiſſimam, & cui repugnari minime poteſt. Verum hoc quicquid eſt, vt non auſim dicere carere omnino arte, quia nonnullam obſeruationem habet, ſúntque ad id pertinentia & à Græcis & à Latinis cōpoſita præcepta: ita plane affirmo præcipue poſitum in natura, & in occaſione. Porrò natura non tantum in hoc valet, vt acutior quis atque habilior ſit ad inueniendum, nam id ſane doctrina poſſet augeri, ſed ineſt proprius quibuſdam decor in habitu atque vultu, vt eadem illa minus dicente alio videantur vrbana eſſe. Occaſioni vero & in rebus eſt tanta vis, vt ſæpe adiuti ea non indocti modo, ſed etiam ruſtici ſalſe dicant, & in eum quiſquis dixerit prior. Sunt enim longe venuſtiora omnia in reſpondendo, quàm in prouocando. Accedit difficultati, quòd eius rei nulla exercitatio eſt, nulli præceptores. Quin illæ ipſæ, quæ dicta ſunt, ac vocantur, quas certis diebus feſtæ licentiæ

Quid I riſus Ciceroni, quid Demoſtheni deſuerit.

Occaſio.

Dicta.

dicere ſolebamus, ſi paulum adhibita ratione
fingerentur, aut aliquid in his ſerium quoque eſ
ſet admixtum, plurimum poterunt vtilitatis
afferre. Pluribus autem nominibus in eadem
re vulgo vtimur: quæ tamen ſi diducas, ſuam
Vrbanitas. propriam quandam vim oſtendent. Nam & vr
banitas dicitur, qua quidem video ſignificari
ſermonem præ ſe ferentem in verbis, & ſono,
& vſu proprium quēdam guſtũ verbis, & ſum
ptam ex conuerſatione doctorũ tacitam erudi
tionem, denique cui contraria ſit ruſticitas.
Venuſtum. Venuſtum eſſe, quod cum gratia quadam &
Salſum. venere dicatur, apparet. Salſum in conſuetudi
ne pro ridiculo tantum accipimus: natura non
vtique hoc eſt: quanquam & ridicula oporteat
eſſe ſalſa. Nam & Cicero, omne quod ſalſum
ſit, ait eſſe Atticorum: nēpe quia ſunt maxime
ad riſum compoſiti. Salſum igitur erit, quod
nō erit inſulſum: velut quoddā ſimplex oratio
nis condimentum, quod ſentitur latēte iudicio,
& velut palatum excitat: quod & a tædio de
Facetum. fendit orationem. Facetum quoque non tan
tum circa ridicula opinor conſiſtere. Neque e
nim diceret Horatius facetum carminis genus
Iocus. natura conceſſum eſſe Vergilio. Iocum vero
accipimus, quod eſt contrarium ſerio. Nam &
fingere, & terrere, & promittere, interim io
Dicacitas. cus eſt. Dicacitas ſine dubio a dicendo, quod
eſt omni generi commune, ducta eſt: proprie
Demoſthenes non dicax, ſed vrbanus fuit. tamē ſignificat ſermonem cum riſu aliquos in
ceſſentē. Ideo Demoſthenem vrbanum fuiſſe
dicunt: dicacem negant. Concitatur autem

multis modis. Primum itaque conſiderandum eſt, & quis, & qua cauſa, & apud quem, & in quem, & quid dicat. Oratori minime conuenit diſtortus vultus, geſtuſque: quæ in mimis rideri ſolent. Dicacitas etiam ſcurrilis & ſcenica huic perſonæ alieniſſima eſt. Obſcœnitas vero non a verbis tantum abeſſe debet, ſed etiam a ſignificatione. Nam ſiquando obijci poteſt: non in omni loco exprobranda eſt. Oratorem præterea vt dicere vrbane volo, ita videri affectare id, plane nolo. Quapropter ne dicet quidem ſalſe quoties poterit: & dictũ potius aliquando perdet, quàm minuet authoritatẽ. Riſus igitur oriuntur, aut ex corpore eius in quem dicimus: aut ex animo: qui factis ab eo dictiſq; colligitur: aut ex ijs quæ ſunt extrà poſita. Intra hæc enim eſt omnis vituperatio: quæ ſi grauius poſita ſit, ſeria ſit: ſi leuiusq;, ridicula. Hæc aut oſtenduntur, aut narrantur, aut dicto notantur. Rarum eſt autem vt oculis ſubijcere contingat. In narrando autem Cicero conſiſtere facetias putat: dicacitatem in iaciendo. Sed acutior eſt illa, atque velocior in vrbanitate breuitas. Cuius quidem duplex eſt forma: dicendi, ac reſpondendi: ſed ratio communis in parte. Nihil enim in laceſſendo dici poteſt, quod non etiam in repercutiendo. At propria quædam ſunt reſpondentium. Illa etiam ira concitati afferre ſolent: hæc plerunque in altercatione, aut in rogandis teſtibus requiruntur. In primis autem ex Amphibologia, neque illa obſcura: quæ Atellanæ more captent: nec

Obſcœnitas

Riſus vnde oriantur.

Vituperatio

Facetiæ.

*Ridicula in tropos cadunt.*

qualia vulgo iactantur viliſſimo quoque, conuerſa in maledictum ferè ambiguitate. Ridicula etiam in tropos quoq; omnes cadunt. An non plurima καθ' ὑπερβολὴν dicuntur? quale refert Cicero de homine prælongo, Caput eum ad fornicem Fabij offendiſſe. Quid ironia? nónne etiam quæ ſit veriſſima, loci prope genus eſt? Qua Cicero vſus eſt, cum Vatinij morte nunciata, cuius parum certus dicebatur author, interim (inquit) vſura fruar. Idem per allegoriam Marcum Cælium melius obijciētem crimina quàm defendētem, bonam dextram, malam ſiniſtram habere dicebat. Emphaſi Iulius dixit ferrum Accium Nauium incidiſſe. Figuras quoq; mentis, quæ σχήματα διανοίας dicūtur, res eadem recipit omneis, in quas nōnulli diuiſerunt ſpecies dictorum. Nam & interrogamus, & dubitamus, & affirmamus, & minamur, & optamus. Quædam vt miſerantes, & quædam vt iraſcentes dicimus. Ridiculum eſt autē omne, quod aperte fingitur. Stulta reprehendere, facillimum eſt. nam per ſe ſunt ridicula. Sed horum omniū rationem ab ipſo Fabio & Cicerone petas licet.

*Ridiculum quid.*

## DE ALTERCATIONE.

*Altercatio.*

ALtercatio conſtat aut intentione, aut depulſione: de quibus ſatis traditum eſt: quia quicquid in actione perpetua circa probationes vtile eſt, idem in hac breui atque conciſa proſit neceſſe eſt. Neque alia dicuntur in altercatione, ſed aliter aut interrogando,

aut reſpondendo. Cuius rei fere omnis obſeruatio in illo teſtium loco excuſſa nobis eſt. Opus eſt in primis ingenio veloci ac mobili, animo præſenti & acri. Non enim cogitandum, ſed dicendum ſtatim eſt, & propè ſub conatu aduerſarij manus erigenda. Quare cum in omni parte huiuſce officij plurimum facit, totas nō diligenter modo, ſed etiam familiariter noſſe cauſas: tum in altercatione maxime neceſſarium, omnium perſonarum, inſtrumentorum, temporum, locorum habere notitiā: alioqui & tacendum eſt ſæpe, etiam alijs ſubijcientibus: plerunque autem ſtudio loquendi fatuè modo accedendum: quod nunquam accidit, ni noſtra credulitate aliena ſtultitia erubeſcamus. Neque tātum hoc ipſis monitoribus clareſcit. Quidam faciunt aperte quòd rixemur. Videas enim plerosque ira percitos exclamantes: vt iudex audiat contrarium id eſſe quod admoneatur: ſciátque ille qui pronunciaturus eſt in cauſa, malum quod tacetur. Quare bonus altercator vitio iracundiæ careat. Nullus enim rationi magis obſtat affectus, & fert extra cauſam, & plerunque deformia conuitia facere, ac mereri cogit, & ipſos nonnunquam iudices incitat melior moderatio, ac nonnunquam etiam patientia. Valet autem in altercatione plurimum acumen: quod ſine dubio ex arte non venit. Natura enim non docetur, arte tamen adiuuatur. In qua præcipuum eſt ſemper id in oculis habere, de quo quæritur, & quod volumus efficere. Quia propoſitum tenentes, in rixam non ibi-

Bon⁹ altercator vitio iracundiæ careat.

mus: nec cauſæ debita tempora conuitiãdo cõteremus: gaudebimuſque ſi hoc aduerſarius facit: diu pugnare in ijs quæ obtinere non poſſis, plurimum nocet. Nam vbi vinci neceſſe eſt, expedit cedere: quia ſiue plura ſunt de quibus quæritur, facilior erit in cæteris fides: ſiue vnũ, mitior ſolet irrogari pœna verecundiæ. Eſt etiã in primis acuti, videre quo iudex dicto moueatur: quid reſpuat: quod ex vultu ſæpiſſime, & aliquando etiam dicto aliquo factove eius deprehenditur: & inſtare proficientibus, & ab ijs quæ non adiuuant, quammolliſſime pedẽ oporret referre. Porrò exercitatio huius rei longe facilior. Nam eſt vtiliſſimum, frequenter cum aliquo, qui ſit ſtudiorum eorũdem, ſumere materiam vel veræ, vel etiã fictæ controuerſiæ: & diuerſas partes altercationis modo tueri: quod idem etiam in ſimplici genere quæſtionum fieri poteſt. Ne illud quidem ignorare aduocatũ volo, quo quæque ordine probatio ſit apud iudices proferenda: cuius rei eadem in argumentis ratio eſt, vt potentiſſima, prima & ſumma ponantur. Illa enim ad credendum præparant iudicem: hæc ad pronunciandum.

## DE IVDICIO ET CONSILIO.

Iudicium.
Cõſilium.

PRæcipiam igitur, ne quod effici non poteſt, aggrediamur: vt contraria vitemus, & communia: ne quid in eloquendo corruptum, obſcurumq; ſit. Referatur oportet ad ſenſus: qui non docentur,

Nec multum a iudicio credo diſtare conſiliũ: niſi quòd illud oſtendentibus ſe rebus adhibetur: hoc latentibus,& aut omnino nondum repertis, aut dubijs. Et quòd iudicium frequentiſſime certum eſt, Conſilium vero eſt ratio quædam altè petita,& plerunq; plura perpendens, & comparans, habenſque in ſe & inuentionem, & iudicationem. Sed ne hæc quidem præcepta in vniuerſum ſpectanda ſunt. Nam ex re ſumitur: cui locus ante dictionem eſt frequenter. Et Cicero ſummo conſilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluiſſe, quàm in eum annum quo erat Q. Hortenſius conſul futurus, incidere. Et in ipſis actionibus primum ac potentiſſimum obtinet locum. Nam quid dicendum, quid tacendum, quid diffitendum ſit, exigere, conſilij eſt. Negare ſit ſatius, an defendere. Vbi procemio vtendum,& quali. Narrandum ne,& quo modo. Iure prius pugnandum, an æquo. Qui ſit ordo vtiliſſimus. Tũ omnes colores, aſpere, an leniter, an etiam ſubmiſſe loqui expediat. Illud dicere ſatis habeo, nihil eſſe non modo in orãdo, ſed in omni vita prius conſilio: fruſtraque ſine eo tradi cæteras artes: pluſque vel ſine doctrina prudentiam, quàm ſine prudentia facere doctrinam. Apparet etiam orationem accommodare locis, temporibus, perſonis, eſſe eiuſdem virtutis.

Conſilium quid.

Nihil in oĩ vita prius conſilio.

# COMPENDIVM DE DISPVTATIONE, EX LIBRO SEPTIMO.

*Diſpoſitionis vtilitas.*

QVemadmodum opera extruentibus ſatis non eſt, ſaxa atque materiam & cætera ædificanti vtilia congerere, niſi diſponendis eis collocandiſque artificum manus adhibeatur: ſic in dicendo quamlibet abundans rerum copia, cumulum tantum habeat atque congeſtum, niſi illas eadem diſpoſitio digeſtas atque inter ſe cõmiſtas deuinxerit. eoq; non immerito ſecunda quinq; partium poſita eſt, cum ſine ea prior nihil valeat. Sit igitur diuiſio, rerum plurium in ſingulas: Partitio, ſingularum in partes diſcretus ordo, & recta quædam collocatio prioribus ſequentia annectens. Diſpoſitio, vtilis rerum ac partium in loco diſtributio. Sed meminerimus ipſam diſpoſitionem plerunque vtilitate mutari, nec eadem ſemper primam quæſtionem ex vtraque parte tractandam. Mihi certè curæ fuit in controuerſijs forenſibus noſſe omnia quæ in cauſa verſarentur. Nam in ſchola certa ſunt, & pauca, & ante declamationem exponuntur, quæ θέματα Græci vocant, Cicero propoſita. Cum hæc in cõſpectu quodammodo collocaueram, non minus pro aduerſa parte quàm pro mea cogitabam. Et primum quod non difficile di-

*Diuiſio. Partitio. Diſpoſitio. Notatio. Quid Fabius in diſpoſitiõe fecerit.*

ctu eſt,ſed tamen ante omnia intuendum,conſtituebam quid vtraq; pars vellet efficere, tum per quid. hoc modo cogitabam quid primum petitor diceret.Id aut confeſſum erat, aut controuerſum. Si confeſſum, non poterat ibi eſſe quæſtio. Tranſibam igitur ad reſponſum partis alterius:idem intuebar: nõnunquam etiam quod inde obtinebatur,confeſſum erat.Vbi primum cœperat non conuenire, quæſtio oriebatur.Confeſſum erat,id tale eſt.Occidiſti hominem: occidi:tranſeo. Rationem reddere debet reus quare occiderit. Adulterũ,inquit,cum adultera occidere licet. legẽ eſſe certum eſt. Tertium iam aliquid videndum eſt, in quo pugna conſiſtat.Non fuerunt adulteri. Fuerunt.quæſtio.de facto ambigitur.Cõiectura eſt. Interim ergo & tertium : confeſſum eſt adulteros fuiſſe.Sed tibi, inquit accuſator, non licuit occidere . Exul enim eras, & ignominioſus . de iure quæritur. At ſi protinus dicenti, occidiſti, reſpondeatur, non occidi· ſtatim pugna eſt . Sic explorandum eſt vbi controuerſia incipiat, & conſiderari debet quæ primam quæſtionem facit.Intentio ſimplex·Occidit Saturninum Rabirius.Coniuncta, lege de ſicarijs commiſit L. Varenus:Nam C.Varenum occidendo, & Cn. vulnerãdo,& Salarium item occidendo,cadit. Nã ſic diuerſæ propoſitiones erunt.quod idem de petitionibus dictum ſit. Verum ex coniuncta propoſitione plures eſſe quæſtiones ac ſtatus poſſunt,ſi aliud negat reus,aliud defendit, aliud iure actionis excludit.In quo genere agẽ

ti eſt diſpiciendum quid quo loco diluat, quod pertinet ad actorem. Rectè putat Celſus primum firmum aliquid eſſe ponendum: ſummo firmiſſimum: imbecilliora medio: quia & initio mouendus ſit iudex, & ſummo impellendus. At pro reo plerunq; grauiſſimum quidque primum mouendum eſt: ne illud ſpectans iudex, reliquorum defenſioni ſit auerſior. Cum ſimplex intentio erit, videndum eſt an vnum aliquid reſpondeamus, an plura. Si vnum, in re quæſtionem inſtituamus, an in ſcripto. Si in re, negandum ſit quod obijcitur, an tuendum. Si in ſcripto, in qua ſpecie iuris pugna ſit: & in ea, de verbis, an voluntate quæratur. Id ita conſequemur, ſi intuiti fuerimus quæ ſit lex quæ litem faciat: hoc eſt, qua iudicium ſit conſtitutum. Coniuncta defenſio eſt, qualis pro Rabirio. Si occidiſſet, rectè feciſſet: ſed non occidit. Vbi multa contra vnam propoſitionem dicimus, idem faciendum puto quod de argumentis probationum loco dixi: aliquando nos incipere a firmioribus. Nam vis quæſtionum percreſcere debet, & ad potentiſſima ab infirmiſſimis peruenire: ſiue ſunt eiuſdem generis, ſiue diuerſi. Non diſſimile huic eſt & illud præceptum, vt a communibus ad propria veniamus. Ferè enim communia, generalia ſunt. Commune eſt, tyrannum occidit. Proprium, Viriatum occidit, mulier occidit, vxor occidit. At quomodo inueniemus etiam illas occultiores quæſtiones? ſcilicet quomodo ſententias, figuras, colores ingenio, cura, exercitatione. Non

Celſi opinio de diſpoſitione argumentorum.

Intẽtio ſimplex quomodo tractãda

Coniuncta defenſio.

Præceptum diſpoſitiõis

tamen fere vnquã niſi imprudentem fugerint, ſi naturam ſequi ducem velit. Sed plerique eloquentię famam affectantes, contenti ſunt locis ſpecioſis modo, vel nihil ad probationem conferentibus. Alij nihil vitantes, ea quæ in oculos incurrunt, exquirenda putant. Exemplum eius vide apud Fabium. Poſſunt multa alia in vniuerſum præcipi: ſed hęc ſatis ſit annotaſſe. Error declamatorum.

DE CONIECTVRA.

Coniectura omnis aut de re, aut de animo eſt. Vtriuſq; tria tempora: præteritum, pręſens, futurum. De re & generales quęſtiones ſunt, & definitæ, id eſt quæ non continentur, & quæ continentur. De animo quęri non poteſt, niſi vbi perſona eſt, & de facto cõſtat. De coniectura. ¶ Ergo cum de re agitur, aut quid factum ſit, in dubium venit: aut quid fiat: aut quid ſit futurum: vt in generalibus, An prouidentia mũdus regatur. In definitis: an parricidium commiſerit Roſcius. In iudicijs præteritum tempus maxime valet. Nemo accuſat, niſi quæ facta ſunt. Nam quæ fiant, aut quæ futura ſint, ex pręteritis colliguntur: vt ſi quæras vnde peſtilentia orta, an ira deûm, an intemperie cæli, &c. Et ſimiliter quæ cauſa facti alicuius. ¶ Animi coniectura non dubie in omnia tempora cadit. Animi coniectura. Qua mente in Africa Ligarius fuerit. Quæritur per coniecturam & quantitas & qualitas circa modum, ſpeciem, numerum. An ſol maior quàm terra. Luna globoſa, an plana, an acuta. In ijs autem quę accuſatione & defen-

Cũ de reo & facto quæritur.

ſione conſtant, vnum eſt genus in quo quæritur & de facto, & de authore. Eius naturalis ordo eſt, prius factum eſſe accuſator probet: deinde à reo factum. Si tamen plures in perſonam probationes habuerit, conuertet hunc ordinẽ. Defenſor autem prius negabit eſſe factum: quia ſi in hac parte vicerit, reliqua non neceſſe habet dicere. Victo ſupereſt, vt tueri ſe poſſit.

Cũ de facto tantũ quæritur.

Illic quoque ibi de facto tantum controuerſia eſt. quod ſi probetur, non poſſit de authore dubitari. Similiter argumenta & ex perſona, & ex re ducuntur, ſed in vnam facti quæſtionem, vt in illa controuerſia. Abdicatus medicinæ ſtuduit. cum pater eius ægrotaret, deſperantibus deeo cæteris medicis, adhibitus, ſanaturum ſe dixit, ſi is potionem à ſe datam bibiſſet. Pater acceptæ potionis epota parte dixit venenum ſibi datum eſſe. filius quod reliquum erat exhauſit. pater deceſſit. Ille parricidij reus eſt. Manifeſtum quis potionem dederit. nulla queſtio de authore. tantum an fuerit venenum, ex argumentis à perſona ductis colligetur.

Cum de reo tantũ quæritur.

Supereſt tertium, in quo factum eſſe conſtat aliquid: a quo factum ſit, quæritur. Is autem qui arguitur feciſſe, neget. Ex hoc naſcitur mutua accuſatio, ἀντικατηγορία, quam alij concertatiuam vocant. Vtique hoc factum eſſe conuenit, quod duo inuicem obijciunt.

Cõparatio quibus vijs ducatur.

Comparatio, qua plerẹque actiones conſtant, non vna via ducitur. Aut enim totam cauſam noſtram cum tota aduerſarij cauſa cõponimus, aut ſingula argumenta cum ſingu-

lis:quorum vtrum ſit faciendum,non poteſt niſi ex ipſius litis vtilitate cognoſci: vt Cicero ſingula pro Vareno comparat in primo crimine. Eſt enim ſuperior, cũ perſona alieni cum perſona matris temere comparetur. Quare optimum eſt,ſi fieri poterit, vt ſingula vincantur à ſingulis. Sed quando in partibus laborabimus, vniuerſitate pugnandum eſt,ſiue inuicem accuſant,ſiue crimen reus citra accuſationem in aduerſarium vertit , vt fecit Roſcius in aduerſarios ſuos. ℂ Ducitur cõiectura primum à prę teritis.In his ſunt,perſona,cauſæ,conſilia.Nam is ordo eſt, vt facere voluerit,potuerit,fecerit. Ideóque intuendum ante omnia , qualis ſit de quo agitur. Accuſatoris autem eſt efficere, vt ſi quid obiecerit,non ſolum turpe ſit,ſed etiam crimini de quo eſt iudicium , quàm maxime conueniat. Patrono id agendum,vt ſi fieri poſſit,obiecta vel vrgeat,vel defendat,vel minuat. proximum eſt, vt à præſenti quæſtione ſeparet. Alia propoſitio eſt accuſatoris, contra quã loci ſæpe oriuntur à perſona: & interim generaliter incredibile eſt à filio patrem , ab vxore virum occiſum.Facile reſpõdetur quòd omnia ſcelera in malos cadãt. Dignitas & tuetur reũ, & nonnunquam ipſa in argumentum facti cõuertitur,tanquam inde fuerit ſpes impunitatis. Probi vero mores,& anteactæ vitæ integritas, nunquam non plurimum profuerint. ℂ Proxima eſt ex cauſis probatio : in quibus hæc maxime ſpectantur , ira , odium , metus, cupiditas,ſpes.reliqua in has ſpecies cadunt: quo-

Loci coniecturales a perſona.

Loci a perſona 15

A cauſis 80

tum ſi quid in reum conueniet, accuſatoris eſt efficere,ad quicquid faciendum cauſę valere videantur,eaſque quas in argumentum ſumet,augere. Si minus,illuc conferenda oratio,aut aliquas fortaſſe latẽtes fuiſſe,aut nihil ad rem pertinere cur fecerit,ſi fecit,aut etiam dignius eſſe odio ſcelus,quòd non habuerit cauſam. Patronus huic,quoties poterit, loco inſtabit: vt nihil credibile ſit factum eſſe ſine cauſa. Quod Cicero vehementiſſime multis orationibus tractat. De cauſa prius, an de perſona dicendum ſit, quæritur: varieque eſt ab oratoribus factum: ſed naturale magis incipere à perſona: & id ipſum tamen vertit vtilitas. Poſt hæc, intuenda videntur & conſilia:quæ late patent:an credibile ſit reum ſperare id à ſe ſcelus effici poſſe: an ignorari cum feciſſet: an etiam ſi ignoratum non eſſet, abſolui, vel pœna leui trãſigi, vel tardiore: vel ex qua minus incommodi cõſecuturus, quàm ex facto gaudij videretur: an etiam tanti putauerit pœnam ſubire. Poſt hæc an alio tempore,& aliter facere vel facilius vel ſecurius potuerit: vt dicit Cicero pro Milone. An præterea cur illo loco, tempore,& cætera. An etiam ſi nulla ratione ductus eſt, impetu raptus ſit, & abſque ſententia. Nam vulgo dicitur, ſcelera non habere conſilium. an conſuetudine peccandi ſit allectus. Excuſſa prima parte, an voluerit, ſequitur an potuerit. Hic tractatur locus, tempus, vt furtum in loco recluſo,frequenti tempore,&c. Inſpiciuntur quoque difficultates & occaſiones, verba etiam &

Conſilia,iij.

A loco.
Tempore.
Facultate.
Occaſione
Verbis.

facta, quę anteceſſerunt, quæque inſecuta ſunt. Hæc aut noſtra ſunt, aut aliena. Facta autem interim magis proſunt noſtra, interim aliena: vt ſi quid pro nobis ſit, aduerſarius dicat. Semper vero magis nocent noſtra, quàm aliena. De animo quomodo quęratur, ſatis dictũ: cum ita diuiſerimus: an voluerit, an potuerit, an fecerit. Nam qua via tractatur, an voluerit, eadem quo animo fecerit. Id enim eſt, an male facere voluerit. Ordo quoque rerum, aut affert, aut detrahit fidem, multo magis res prout congruũt, aut repugnant. quęrendum igitur quid cui connectatur, quid cui conſentiat. A factis. Ordo rerum

## DE FINITIONE.

SEquitur coniecturam finitio: quæ legibus pluribus quibus coniectura verſatur, mutato tantum defenſionis genere, vt non feci furtum: non eſt hoc furtum. Ea autem eſt rei propoſitę propria & dilucida, & breuiter cõprehenſa verbis enunciatio. conſtat genere, ſpecie, differentibus, proprijs: vt dictum ſupra eſt. Hæc adhibetur orationi pluribus cauſis. Nam tum eſt certum de nomine, ſed quæritur quę res ei ſubijcienda ſit: tum eſt manifeſta, ſed de nomine non cõſtat. Cum de re dubium eſt, interim coniectura eſt, vt ſi quęratur, quid ſit Deus. Interim qualitas tractatur, vt quid ſit Rhetorice, vis perſuadendi, an bene dicẽdi ſciẽtia. quod genus in iudicijs frequentiſſimũ. Sic enim quęritur, an deprehenſus in lupanari cũ aliena vxore, adulter ſit, quia non de appella- Finitio. Finitio quid Vſus finitionis.

tione,ſed de vi facti eius ambigitur. Diuerſum eſt genus, cum controuerſia conſiſtit in nomine quod pendet e ſcripto, nec verſatur in iudicijs,niſi propter verba quæ litem generant. An qui ſe interfecit, homicida ſit. Sed hæc quædã diffinitionum diuerſitas,nec eadem res vno modo diffinitur, ſed latiore, varióque tractatu, vt facit Cicero. Optimáque illa via,vt res proponatur, verba non periclitentur, aut quam probatio ipſa præcedit: vt, is ei profecto mortem attulit,qui cauſa mortis fuit. In foro prouidendum,num forte ſuperuacua,& nihil ad cauſam pertinens, an ambigua, an contraria, an communis ſit finitio: quorum nihil accidere niſi agentis culpa poteſt. Eóque ex duobus ea generibus euertitur, ſi aut falſa eſt, aut parum plena. Nam illud tertium,niſi ſtultis non accidit, vt nihil ad quæſtionem pertineat. Maximus autem vſus in approbando refellendoqꝫ fine propriorum ac differentium: nonnunquam etiam etymologię.quę tamen omnia ſicut in cæteris, confirmat æquitas: nonnunquam etiam coniectura mentis. Etymologia maxime rara eſt: circa propria ac differentia magna ſubtilitas: vt cum quæritur, an addictus, quem lex ſeruire donec ſoluerit iubet, ſeruus ſit. Altera pars finit ita. Seruus eſt, qui eſt iure in ſeruitute. Altera,qui in ſeruitute eſt eo iure, quo ſeruus: vt antiqui dixerunt, qui ſeruitutem ſeruit. Quæ finitio etiam ſi conſtet æquo, niſi tamen proprijs & differentibus adiuuetur,inanis eſt. Dicet enim aduerſarius ſeruire eum ſeruitutem,

Finitio vitioſa.

Nota.

aut eo iure quo ſeruum. Videamus ergo pro-pria, differentiáque liberorum. Seruus cum ma-numittitur, fit libertinus: addictus recepta li-bertate eſt ingenuus. Seruus inuito domino li-bertatem non conſequetur: addictus ſoluendo citra voluntatem domini conſequetur. Hæc fu-ſius apud Fabium. Excuſſo quid ſit, prope per-acta eſt quæſtio, an hoc ſit. id enim agimus, vt ſit cauſæ noſtræ conueniens finitio. Potentiſſi-ma autem eſt in ea qualitas, an amor, an inſa-nia. Huc pertinebunt probationes, quas Cice-ro dicit proprias eſſe finitiones ex antecedenti-bus, conſequentibus, adiunctis, repugnantibus, cauſis, effectis, ſimilibus: de quorum argumen-torum natura dictum eſt. nunc de qualitate di-cemus.

## DE QVALITATE.

EST autem qualitas de ſummo ge-nere, atque ea non ſimplex: Nam qualis ſit cuiuſq; rei natura & quę forma, quęritur: an ſit immortalis anima, & eius generis alia: quę o-mnia coniectura colliguntur. Hæc in ſuaſorijs aliquando tractatur: eidemque ſuccedunt fa-cienda, ac non facienda: appetenda, vitanda: quæ in ſuaſorias quidem maxime cadunt. Sed in controuerſijs quoque ſunt frequētiſſima, hac ſola differentia, quia illic de futuris, hic de fa-ctis agitur. Item demonſtratiuæ partis omnia ſunt in hoc ſtatu, factum eſſe conſtat: quale ſit factum, quæritur. Lis eſt omnis aut de pręmio, aut de pœna, aut de quantitate. Igitur primum

De qualita-te

Qualitas in omnia gene-ra cadit.

genus cauſę aut ſimplex, aut comparatiuũ. Illic quid æquũ, hic quid æquius, aut quid æquiſſimum ſit, excutitur. Cum de pœna iudicium eſt, a parte eius qui cauſam dicit, aut defenſio eſt criminis, aut imminutio, aut excuſatio, aut vt quidam putant, deprecatio. Defenſio longe potentiſſima eſt, qua ipſum factum quod obijcitur, dicimus honeſtum eſſe. Alterũ eſt defenſionis genus, in quo factum per ſe improbabile aſſumptis extrinſecus auxilijs tuemur. id vocant προληπτικήν. Latini hoc quoque, nam ad verbum transferunt. Aſſumptiua enim dicitur cauſa, in quo genere fortiſſimum eſt, ſi crimen cauſa facti tuemur, qualis eſt defenſio facti Oreſtis, oratio Milonis, ἀντεγκλημα dicitur, quia omnis noſtra defenſio conſtat eius accuſatione qui vindicatur. Occiſus eſt, ſed latro. Eſt & illa ex cauſis ducta defenſio, nempe ex aliqua vtilitate aut Reipublicę, aut hominum multorum, &c. Huic illa ſubiacet, ſi prius aliquid futurum fuit. Hæc circa defenſionem facti, quæ ſi neque per ſe ipſam, neque adhibitis alijs auxilijs dabitur, proximum eſt in alium transferre crimen, ſi poſſumus. Supereſt & excuſatio ignorantiæ, aut neceſſitatis. Fortuna quoq; ſæpe ſubſtituitur culpę. Nonnunquã male feciſſe nos, ſed bono animo dicimus. Si hæc deerunt, videndum eſt, an minui culpa poſſit. hic eſt ille, qui a quibuſdam dicitur ſtatus quãtitatis. Vltima eſt deprecatio culpæ, quod genus cauſæ pleriq; negarunt in iudiciũ vnquam venire, quod & Cicero teſtatur pro Qu. Liga-

Lis de præmio.
Lis de pœna.
Defenſio potentiſſima.
Defẽſio per trãſlationẽ criminis.
Alia defenſio.
Tranſlatio criminis.
Rationes excuſandi.
Imminutio culpæ.
Deprecatio culpæ.

rio cum dicit·Cauſas Cæſar egi multas,& quidem tecũ &c.In ſenatu vero,& apud populũ, & apud principem, & vbicũq; iuris clementia eſt,habet locum deprecatio:in qua plurimum valent,ex ipſo qui reus eſt,hæc tria in vita pręcedere : ſi innocens, ſi bene meritus, ſi ſpes in futurum innocenter victuri , & in aliquo vſu futuri. De præmijs autem quæruntur duo, an vllo ſit dignus qui petit, an tanto : ex duobus, vter dignior:ex pluribus, qui digniſſimus. Abdicationum formæ duæ ſunt , altera criminis perfecti, vt ſi abdicetur raptor, adulter. Altera imperfecti,velut pendentis,& adhuc in conditione poſiti: quales ſunt in quibus abdicatur filius,quia non pareat patri.Non diſſimiles abdicationum actionibus ſunt malæ tractationis actiones. nam & ipſæ habent eãdem in accuſationibus moderationem. Dementiæ quoque iudicia aut propter id quod factum eſt, aut propter id quod adhuc fieri, vel non fieri poteſt,inſtituuntur. Iniuriarum,quanquã enim reus aliquando feciſſe negat, plerunque tamen hæc actio facto atque animo continetur . De accuſatore conſtituendo , quæ iudicia diuinationes vocantur , ſpectandum à quo maximè agi velint ij de quorum vltione quæritur,a quo minime velit is qui accuſatur : frequentiſſimæ tamen hæ ſunt quæſtiones, vter maiores cauſas habeat. Tutelæ præterea, in quo iudicio ſolet quæri,an alia de re quàm de calculis cognoſci oporteat. An fidem præſtare debeat tantũ, non etiam conſilium & euentus. Cui ſimile eſt,

De præmijs

Abdicationũ formæ duæ.

Malæ tractationis forma.

Dementiæ iudicia.

Iniuriarum actio.

De accuſatore conſtituendo.

Tutelæ actio.

Actio procurationis malè geſtæ.

male geſtæ procurationis, Malè item geſtæ legationis. Tractatur & actio in ingratum. Quantitas quoq; plerunq; etiam ſi nõ ſemper, tamen plerunque eidem ſubiacet: ſeu modi eſt, ſeu numeri. ¶QVI NEQVE feciſſe ſe negabit, neq; aliud eſſe quod fecerit dicet, neque factum defendet, neceſſe eſt in ſuo iure conſiſtat: in quo plerunque actionis eſt quæſtio, quæ non ſemper eadem eſt, vt quidam putarunt. Nam & iudicium antecedit: qualia ſunt curioſa præturæ conſilia, cum de iure accuſatoris ambigitur: & in ipſis frequentiſſimè iudicijs verſatur. Eſt enim duplex eius diſceptationis conditio: quòd aut intentio, aut præſcriptio habet controuerſiam. In præſcriptione non de ipſa re quæritur. Ignominioſo patri filius præſcribit. de eo loco iudicatio eſt, an liceat. Sed frequentius etiam quæritur de intentione. Vir fortis optet, quæ volet. nego illi dandum quicquid optauerit. Porro lex omnis aut tribuit aut adimit, aut punit, aut iubet, aut vetat, aut permittit. Litem habet aut propter ſe ipſam, aut propter alteram. Quæſtio eſt aut in ſcripto, aut in voluntate. In ſcripto, aut apertum eſt, aut obſcurum, aut ambiguum. Quod de legibus dico, idem accipi volo de teſtamentis, pactis, ſtipulationibus, omni denique ſcripto, idem de voce. Et quoniã quatuor eius generis quæſtiones facimus, de ſingulis dicemus.

Præſcriptio.

Intentio.

Legis ratio.

De ſtatu ex ſcripto & voluntate.

¶SCRIPTI & voluntatis frequentiſſima inter cõſultos quæſtio eſt, & pars magna controuerſiæ iuris hinc pendet: quo minus id in ſcho

lis accidere mirum eſt,vbi etiam ex induſtria fingitur.Eius genus vnum eſt,in quo & de ſcripto,& de voluntate quæritur. Id tum accidit, cum eſt in lege aliqua obſcuritas,& in ea aut vterque ſuam interpretationem confirmat,aut aduerſarij ſubuertit,vt hic fur quadruplum ſoluat.duo ſurripuerunt pariter decem millia.petuntur ab vtroque quadragena.illi poſtulant,vt vigena conferant. Nam & actor dicit hoc eſſe quadruplum quod petat:& rei hoc, quod offerant. Voluntas quoque vtrinq; defenditur, aut cum de altero intellectu certũ eſt,aut de altero dubium. Ex meretrice natus, ne concionetur. Quæ filium habebat,proſtare cœpit. Prohibetur adoleſcens concione.Nam de eius filio,quæ ante partum meretrix fuit,certum eſt : an eadem huius cauſa ſit,dubium eſt:quia ex hac natus,& hæc meretrix eſt. Solet & illud quæri, quò referatur quod ſcriptum eſt:bis de eadem re ne ſit actio,id eſt hoc bis ad actorem, an ad actionem. Hæc ex iure obſcuro. Alterum genus eſt ex manifeſto,quod qui ſolum viderunt, hunc ſtatum plani & volũtatis appellauerunt. In hoc,altera pars ſcripto nititur,altera voluntate.Sed contra ſcriptum tribus generibus occurritur.Vnum,eſt,in quo id ſeruari ſemper nõ poſſe, ex ipſo patet : liberi parentes alant, aut vinciantur. Non enim alligabitur infans.Hinc erit ad alia tranſitus,& diuiſio. Num quiſquis non aluerit?num hic? Propter hoc proponunt quidam tale genus cõtrouerſiarum, in quo nullum argumentum eſt, quod ex lege ipſa peti

Vna ſpecies

Primo modo.

Secundo.

Tertio.

Secunda ſpecies.

Quomodo occurratur ſcripto primo modo qui nõ ſimplex.

poſſit. Sed de eo tantum, de quo lis eſt, quærendum ſit. Peregrinus ſi murum aſcenderit, capite puniatur. Cum hoſtes murum aſcendiſſent, peregrinus eos depulit, petitur ad ſupplicium. Non erunt hic ſeparatæ quæſtiones, an quiſquis? an hic? quia nullum poteſt afferri argumẽtum contra ſcriptum vehementius eo quod in lite eſt, ſed hoc tantum, ánne ſeruandæ quidem ciuitatis cauſa? Ergo & æquitate, & voluntate

Secundo. pugnandum. Fieri tamen poteſt, vt ex alijs legibus exẽpla ducamus, per quæ appareat ſemper ſtari ſcripto non poſſe, vt Cicero pro Cecinna fecit.

Tertio. Tertium, cum in ipſis verbis legis reperimus aliquid per quod probemus aliud legumlatorem voluiſſe, vt in hac controuerſia: Qui nocte cum ferro deprehenſus fuerit, alligetur. Cum annulo ferreo inuentum magiſtratus alligauit. Hic quia eſt verbum in lege, deprehenſus: ſatis etiam ſignificatum videtur nõ

Quid vtraq; pars facere debeat. contineri lege niſi noxium ferrum. Sed vt qui voluntate nitetur, ſcriptum quoties poterit, infirmare debebit: ita qui ſcriptum tuebitur, adiuuare ſe etiam volũtate tentabit.

Teſtamẽtis quid accidat In teſtamentis & illa accidunt, vt voluntas manifeſta ſit, ſcriptum nihil ſit, vt in iudicio Curiano: in quo nota L. Craſſi & Scæuolæ fuit contentio. Subſtitutus hæres erat, ſi poſthumus ante tutelæ ſuæ annos deceſſiſſet. Non eſt natus. Propinqui bona ſibi vendicabant. Quis dubitaret, quin ea voluntas fuiſſet teſtantis, vt is non nato filio hæres eſſet qui mortuo? ſed hoc non ſcripſerat. Id quoq;, quod huic contrarium eſt, ac

cidit nuper, vt eſſet ſcriptum, quod appareret ſcriptorem noluiſſe, qui ſeſtertium nummûm quinque millia legauerat, cum emendaret teſtamentum, ſublatis ſeſtertijs nũmis, argenti pondo poſuit. quinque millia remanſerunt. Apparuit tamen quinque pondo dari voluiſſe: quia ille in argento legato modus & inauditus erat, & incredibilis. Sub hoc etiam ſtatu generales ſunt quæſtiones. Scripto, an voluntate ſtandum ſit: quæ fuerit ſcribentis voluntas, tractatus omnes qualitatis, aut coniecturæ: de quibus ſatis dictum arbitror. ¶PROXIMVM eſt de legibus contrarijs dicere, quia inter omnes artium ſcriptores conſtat in antinomia duos eſſe ſcripti & voluntatis ſtatus: neque immerito, quia cum lex legi obſtet, vtrinq; contra ſcriptum dicitur, & quæſtio eſt de voluntate: in vtraque id ambigitur, an vtique illa lege ſit vtendum. Omnibus autem manifeſtum eſt, nũquam eſſe legem legi contrariam iure ipſo: quia ſi diuerſum ius eſſet, alterum altero abrogaretur, ſed eas caſu collidit, & euentu. Colliduntur autem aut pares inter ſe, vt ſi optio tyrannicidæ & viri fortis comparentur, vtrique data quod velit petendi poteſtate. Hic meritorum, temporis, prę̨mij collatio eſt. Aut ſecum ipſæ, vt duorum fortium, duorum tyrannicidarum, duarum raptarum: in quibus non poteſt eſſe alia quæſtio quàm temporis, vtra prior ſit: aut qualitatis, vtra iuſtior ſit petitio. Diuerſæ quoque leges confligunt, aut ſimiles: diuerſæ, quibus etiam citra aduerſam legem contradici poſſit: vt in

De cõtrarijs legibus.

Antinomia

Leges pares colliduntur, primo modo.

Secundo.

Tertio.

hac controuerſia. Magiſtratus ab arce ne diſce-
dat. Vir fortis optato quæ volet, vel alia nulla
obſtante, quæri poteſt: an quicquid optarit, ac-
cipere debeat: & a magiſtratu multa dicentur,
Similes. Quarto. quibus ſcriptum expugnatur: Si incendium in
arce fuerit. Si in hoſtes recurrendum. contra
quas nihil opponi poteſt, niſi lex altera. Tyran-
nicidæ imago in gymnaſio ponatur, contrà mu
lieris imago in gymnaſio ne ponatur. Mulier
tyrannum occidit. Nam neque mulieris imago
vllo alio caſu poni poteſt: neq; tyrannicidæ vl-
Quinto 'cũ Ipares ſunt lo alio caſu ſummoueri. Impares ſunt, cum al-
teri multa ſunt quæ opponi poſſunt, alteri ni-
hil, niſi quod in lite eſt, vt cum vir fortis impu-
nitatem deſertoris petit. Nam cõtra legem vi-
ri fortis (vt ſupra oſtendi) multa dicuntur: ad-
uerſus deſertores ſcripta non poteſt, niſi optio-
Confeſſum ex vtraque parte. ne ſubuerti. Item aut confeſſum eſt ex vtraque
parte ius, aut dubium. ſi confeſſum eſt, hæc fe-
rè quærũtur. Vtra lex potentior. Ad deos per-
tineat, an ad homines: ad Rempub. an ad pri-
uatos. De honore, an de pœna. de magnis re-
bus, an de paruis. Permittat, an vetet, an impe-
ret. Solet tractari & vtra ſit antiquior: ſed ve-
lut potentiſſimum, vtra minus perdat, vt in de-
ſertore, & viro forti, quòd illo nõ occiſo, lex to-
ta tollatur: occiſo ſit reliqua viro forti alia o-
ptio. Plurimum tamen eſt in hoc, vtrum fieri
ſit melius, atque æquius: de quo nihil præcipi,
niſi propoſita materia poteſt. Si dubium, aut
In iure dubio quid quæratur. alteri, aut inuicem vtriq; de iure ſit controuer-
ſia, vt in re tali. Patri in filium, patrono in li-

bertum manus iniectio ſit. Liberti hæredem ſequantur. Liberti filium quidam fecit hæredem: inuicem petitur manus iniectio, & patronus negat ius patris illi fuiſſe, quia ipſe in manu patroni fuerit. Duplices leges ſicut duæ colliduntur, vt nothus ante legitimum natus legitimus ſit, poſt legitimum tãtum ciuis. Quod de legibus, idem de ſenatuſconſultis dictum: quæ ſi aut inter ſe pugnent, aut obſtent legibus: non tamen aliud ſit eius ſtatus nomen. Duplices leges. Senatuſcõ.

¶ SYLLOGISMVS HABET aliquid ſimile ſcripto, & voluntati: quia ſemper pars in ea altera ſcripto nititur. hoc tamen intereſt, quòd illic contra ſcriptum dicitur, hic ſuper ſcriptũ. Eius nonnulla etiam cum finitione cognatio: vt in ea veluti lege. Venefica capite puniatur. Sæpe ſeparanti amatorium dedit &c. Actio dicentis eſt, amatorium venenum eſſe. id erit finitio: quæ ſi parum valebit, fiet ſyllogiſmus. an perinde puniri debeat, ac ſi virum veneno necaſſet. Ergo hic ſtatus ducit ex eo, quod ſcriptum eſt, id quod incertum eſt: quod quoniam ratiocinatione colligitur, ratiocinatiuus dicitur. In has autem ferè ſpecies venit, An quod ſemel ius eſt, idem & ſæpius. Præcipitata mulier de ſaxo vixit. repetitur. An quod in vno, in pluribus. An quod antè, & poſtea. An quod in toto, idem in parte, & contrà. Item ex eo quod manifeſtũ eſt, colligitur quod dubium eſt. Maioris pugnæ eſt ex ſcripto ducere, quod ſcriptum non eſt. An quia hoc, & hoc. Qui patrem occiderit, culeo inſuatur. matrem occidit. De ſyllogiſmo ſeu ratiocinatiõe. Species ratiocinatiui ſtatus.

De amphibologia. Diuiſio amphibologiæ. ¶AMPHIBOLOGIAE SPECIES ſunt innumerabiles, genera admodum pauca. Accidit vocibus ſingulis, aut coniunctis. Singula errorem afferunt, cum rebus pluribus eadem ſit appellatio, vt gallus. Alterum, in quo alia integro verbo ſignificatio eſt, vt ingenua. Tertia eſt ex compoſitis. Sic apud Grecos contendit λέωμ & παντάλεωμ. Bona omnia Leonti. In coniunctis plus ambiguitatis eſt. Per caſus fit: vt, Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe. Per collocationem, vbi dubium quid quò referri oporteat: vt in hoc teſtamento, quidam iuſſit poni ſtatuam auream haſtam habentem. Per flexum quinquaginta vbi erant centum inde occidit Achilles. Productio quoq; & correptio in ſcripto huc pertinent: vt in hoc Cato, vltima vel breui, vel longa. Sunt & aliæ huiuſmodi ſpecies.

Quæ ſit ſtatus cognatio & diuerſitas. ¶EST AVTEM QVAEDAM inter hos ſtatus cognatio. nam & in finitione quæ ſit voluntas nominis quæritur: & in ſyllogiſmo, qui ſecundus a finitione ſtatus eſt, ſpectatur quid voluerit ſcriptor: & ex contrarijs legibus duos eſſe ſcripti & voluntatis ſtatus apparet. Rurſus & finitio quodammodo eſt amphibologia, cum in duas partes diducatur intellectus nominis. Scriptum & volūtas habet in verbis vocis quæſtionem: quod idem in antimonia petitur. Ideoque omnia hæc quidam ſcriptum & voluntatem eſſe dixerūt. Alij in ſcripto & voluntate amphibologiam eſſe, quæ facit quæſtionem: ſed diſtincta. Aliud eſt enim obſcurum ius, aliud ambiguum. Igitur

finitio in natura ipſa,nominis quæſtionem habet generalem,& quę eſſe etiam citra complexum cauſæ poſſit. Scriptum & voluntas de eo diſputat verbo, quod eſt in lege, Syllogiſmus de eo quod non eſt. Amphibologię lis in diuerſum trahit. Sunt alia,quę niſi propoſita,de qua dicendum eſt,materia,viam docendi non præbeant. Quare plurima petamus a nobis ipſis, & cum cauſis deliberemus, cogitemuſque homines antè inueniſſe artem,quàm docuiſſe. Illa enim potentiſſima eſt, quęq; vere dicitur œconomica totius cauſę diſpoſitio, quę conſtitui niſi velut in re pręſenti non poteſt. Vbi aſſumendum proœmium, vbi omittendum, vbi vtendum expoſitione continua, vbi partita, vbi ab initijs incipiendum, &c. ſingulis an vniuerſis opponenda ſit refutatio. idem faciundum de affectibus,de iure & æquitate,& eiuſmodi videre quę cauſæ conueniant.

## EX FABII LIBRO OCTAVO, QVAE IN ELOCVTIONE ſpectanda.

QVam Græci φράσιν vocant, latine dicimus elocutionē. Eam ſpectamus verbis aut ſingulis, aut coniunctis. In ſingulis intuendum eſt, vt ſint latina, perſpicua, ornata, & ad id quod fa- Phraſis.

cere volumus, accommodata. In coniunctis, vt emendata, vt collocata, vt figurata. Sed hęc libro primo executi ſumus. ¶ PERSPICVITAS præcipuam habet proprietatẽ, ſed proprietas ipſa non ſimpliciter accipitur. Primus enim intellectus, eſt ſua cuiuſqꝫ rei appellatio, qua non ſemper vtimur: nam vitabimus obſcœna & ſordida & humilia. Proprietatis ſpeciei contrarium eſt vitium, id quod apud nos improprium, ἄκυρον apud Græcos vocatur: quale eſt: Tantum ſperare dolorem. Non tamen quicquid non erit proprium, protinus & improprij vitio laborabit: quia multa ſunt & Græce & Latine non denominata. Vnde abuſio, quę κατάχρησις dicitur, neceſſaria. Tranſlatio quoque, in qua vel maximus eſt orationis ornatus, verba non ſuis rebus accommodat. Quare proprietas non ad nomen, ſed ad vim ſignificandi refertur. Secundo modo proprium dicitur inter plura quæ ſunt eiuſdem nominis, id vnde cætera ducta ſunt: vt, vertex eſt contorta in ſe aqua, vel quicquid vertitur. Inde propter flexum capillorum pars eſt ſumma capitis, &c. Tertius eſt huic diuerſus modus, cum res communis pluribus, in vno aliquo habet nomen eximium, vt carmen funebre proprie nænia. Item quod commune eſt & alijs nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, vt Corinthia æra. Et illud proprie dictum, quo nihil inueniri poteſt ſignificãtius, vt Cato dixit C. Cęſarem ad euertendam Rempubli. ſobrium acceſſiſſe, ita & proprij genus

De perſpicuitate.

Acyron.

Tranſlatio.

ex appoſitis,quę epitheta dicũtur, vt dulce muſtum:& quę bene tranſlata ſunt,propria dicuntur. Emphaſim ad orationis ornatũ referri malim. ¶ At obſcuritas fit verbis ab vſu remotis. fallunt etiam verba vel regionibus familiaria, vel artium propria,vt nauis ſaccaria.Sic etiam homonyma , vt Taurus animal ſit vel mons . Plus tamen eſt obſcuritatis in contextu & cõtinuatione ſermonis , & plures modi . Quare nec ſit tam longus,vt eum proſequi non poſſit intentio:nec traiectione tam tardus, vt in hyperbaton finis eius deferatur . Sunt his peiora obſcuritatis vitia alia,vt verborum mixtura,ordinis confuſio,turba inanium verborum,ambiguum,& ſi quid orationi detrahas . Nobis prima ſit virtus perſpicuitatis, propria verba , rectus ordo,non in longum dilata concluſio , nihil neque deſit, neque ſuperfluat.

## DE ORNATV.

PLus ſibi orator in ornatu orationis quàm cæteris partibus indulget,quę & alijs plerũq; ſunt communes : cultu vero atq; ornatu ſe quoq; cõmendat ipſe.Rectéq; Cicero in epiſtola ad Brutũ dixit· Nã eloquẽtiã quæ admirationẽ nõ habet,nullã iudico.Ariſtoteles quoq; eandẽ maxime petendam putat.Debet autem honeſtus ille ornatus pro materiæ genere eſſe variatus . Atque vt à prima diuiſione ordiar, non idem demonſtratiuis & deliberatiuis , & iudicialibus cauſis conueniet . Nanque illud genus oſtentationi

De ornatu.

Diuiſio ornatus.

compoſitum, ſolam petit audientium volupta-
tem: ideóque omnes dicendi artes aperit, orna-
tumque orationis exponit: vt qui non inſidie-
tur, nec ad victoriam, ſed ad ſolum finem lau-
Notatio. dis & gloriæ tendat. Quare quicquid erit ſentē-
tijs populare, verbis nitidum, figuris iucundū,
tranſlationibus magnificum, compoſitione ela-
boratum, velut inſtitor quidam eloquentiæ in-
tuendum & pene pertractandum dabit. Nam
euentus ad ipſum, non ad cauſam refertur. Et
quoniam orationis tam ornatus quàm perſpi-
cuitas, aut in ſingulis verbis eſt, aut in pluribus
poſitus, quid ſeparata, quid coniuncta exigant,
conſideremus: quanquam rectiſſime traditum
eſt, perſpicuitatem proprijs, ornatum tranſla-
Inornatum tis verbis magis egere. Sciamus inornatum eſſe
quod ſit improprium. Sed cum idem frequentiſ-
ſime plura ſignificent, quod συνωνυμία vo-
catur, iam ſunt alijs alia honeſtiora, ſublimio-
ra, nitidiora, iucundiora, vocaliora. Diuerſus
tamen eſt vſus. Nam rebus atrocibus verba e-
tiam ipſo auditu aſpera magis conuenient. In
vniuerſum quidem optima ſimplicium credun-
tur, quę aut maxime exclamant, aut ſono ſunt
iucundiſſima. Et honeſta quidem turpibus po-
tiora ſemper: nec ſordidis vnquam in oratio-
ne erudita locus. Breuiter ſicut in oratio-
ne nitida notabile eſt humilius verbum, & ve-
lut macula: ita a ſermone tenui ſublime, niti-
dumque diſcordat, fitque corruptum: quia in
plano tumet. Exempla habes paſſim apud poe-
tas & oratores. ¶ Cum ſint autem verba pro-

pria, ficta, tranſlata: proprijs dignitatem dat antiquitas. Nam & ſanctiorem & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat vſurus: eoque ornamento acerrimi iudicij P. Vergilius vnicè eſt vſus. Olli enim & quiánam & mis & pone pellucet, & aſpergunt illã quæ etiã in picturis eſt gratiſſima, vetuſtatis imitabilem arti authoritatem. Sed vtendum modo, nec ex vltimis tenebris repetenda.

¶ Fingere Græcis magis conceſſum eſt, qui ſonis etiam quibuſdam & affectibus non dubitauerunt nomina aptare: non alia libertate, quàm qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Multa ex Græco formata, noua atque etiam dura interim videntur, vt ens & eſſentia: quæ cur tantopere aſpernemur, nihil video, niſi quòd iniqui iudices aduerſus nos videamur, ideoque paupertate ſermonis laboramus. Quædam tamen perdurant. Nam & quę vetera nunc ſunt, fuerunt olim noua, & Cicero fauorem & vrbanum noua credit, & a Terentio primum dictum eſſe, obſequium.

¶ Tranſlata probari niſi in contextu ſermonis non poſſunt. Obſcœna ante omnia vitanda. Iã hinc ad coniuncti ſermonis rationem tranſeamus: cuius ornatus in hæc duo prima diuiditur, quam concipiamus elocutionem, quomodo efferamus. Nam primum eſt vt liqueat augere quid velimus an minuere: comitate dicere an moderate, &c. Tum quo tranſlationis genere, quibus figuris, ſententijs, quomodo id quod intendimus, efficere poſſimus. Cæterum dictu-

Tranſlata. Obſcœna. Coniuncti ſermonis ratio.

rus quibus ornetur oratio, prius ea quæ ſunt huic cõtraria laudi, attingam. Nam prima virtus eſt vitio carere.

κακόφατον. ταπείνωσις. μείωσις ταυτολογία, aut ἐπανάληψις ὁμοιολογία. μακρολογία. πλεονασμός. περιεργία. κακόζηλον. ἀνοικονόμητον. ἀσχήματον. κακοσύνθετον. κοινισμός.

vitiũ orationis

κακόφατον, mala conſuetudine in obſcœnum intellectum ſermo detortus: vt patrare bellum apud Salluſt.

ταπείνωσις humilitatis vitium, qua rei magnitudo vel dignitas minuitur, vt ſaxea eſt verruca in ſummo mõtis vertice. Cõtrariũ huic puis dare excedẽtia modũ noĩa: vt ſi neq̃ hominẽ parricidã dixeris.

μείωσις, cum ſermoni aliquid deeſt, quo minus plenus ſit.

ταυτολογία, eiuſdem verbi vel ſermonis repetitio: vt, non ſolum illud iudiciũ iudicij ſimile iudices, &c.

ὁμοιολογία, cum oratio tota eſt vnius coloris, carens arte oratoria.

μακρολογία, id eſt lõgior quàm oportet ſermo. Liuius. Legati non impetrata pace retrò domum, vnde venerant, abierũt.

πλεονασμὸς, quoties ſuperuacuis verbis oneratur oratio: vt, Ego meis oculis vidi.

περιεργία, ſupuacua opoſitas: vt à diligẽti curioſus, & à religione ſupſtitio diſtat.

κακόζηλον, mala affectatio: quę per omne dicendi genus peccat.

ἀνοικονόμητον, quod male diſpoſitũ eſt.

ἀσχήματον, quod male figuratum eſt.

κακοσύνθετον, quod male collocatum.

κοινισμὸς, mixta ex varia ratione linguarum oratio, vt ſi atticis dorica cõfundas.

¶ORNATVM eſt quod perſpicuo ac pro-
babili plus eſt. probabile enim Cicero id ge-
nus dicit, quod nō plus minúſve eſt quàm de-
cet. Eius primi ſunt gradus in eo quod velit ex-
primendo concipiendoq́. Itaq́ ἐναργείαν, quæ ἐναρ-
plus eſt quàm euidentia, vel vt alij dicunt re- γεια
præſentatio, inter ornamenta ponamus. Ma- Repręſenta
gna virtus eſt, res de quibus loquimur, alere, tio.
atque vt cerni videantur, enunciare. Ea multis
modis accipi ſolet: & præcipuum eius genus
eſt, quo tota rerum imago quodammodo ver-
bis depingitur. Mihi frigidus horror membra
quatit. In hoc genere, ſicut in cæteris, eminet
Cicero: vt in Verrem. Stetit ſoleatus prætor po
puli Ro. cum pallio purpureo, tunicaq́ talari,
muliercula nixus in littore, &c. mira hęc eſt re-
rū repræſentatio. Habes eius genera apud au-
thores permulta. Huic ſubiacet parabola, item Parabola.
virtus non ſolum aperte ponendi rem ante o-
culos, ſed circunciſe atq́ velociter. Ac merito
laudatur breuitas integra, ſed ea minus pręſtat
quoties nihil dicit niſi quod neceſſe eſt, βραχυ βραχυ-
λογίαν vocant, quæ reddetur inter ſchemata. λογία.
Huic vicina, ſed amplior virtus eſt ἔμφασις, ἔμφασις
altiorem prębens intellectum, quàm quem ver
ba per ſe ipſa declarant. Eius duæ ſunt ſpeci-
es; altera quæ plus ſignificat quàm dicit: al-
tera quæ etiam id quod non dicit. Et ſunt quæ-
dam velut e tenui diligentia circa proprieta-
tem ſignificationémque munditiæ. Alia copia
locuples: alia floribus læta: virium non vnum δείνω-
genus. Præcipua tamen eius opera δείνωσις in σις.

exaggerãda indignitate: & in cæteris altitudo quædam. φαντασία in concipiendis viſionibus. ἐξεργασία in efficiendo velut opere propoſito. Cui adijcitur ἐπεξεργασία repetitio probationis eiuſdem,& cumulus ex abundanti. ἐνέργεια confinis ijs eſt,ab agendo ducta, & cuius propria ſit virtus non eſſe quæ dicuntur otioſa. Nunc quid elocutio attollat aut deprimat, dicendum.

φαντα-σία. ἐξεργα-σία. ἐπεξερ-γασία.

## DE AMPLIFICATIONE.

Species amplificandi.

PRima eſt igitur amplificandi vel minuendi ſpecies in ipſo rei nomine, vt cum eum qui ſit cæſus, occiſum:eum qui ſit improbus,latronem : contráque eum qui pulſauit,attigiſſe: qui vulnerauit,læſiſſe dicimus. Vtriuſque pariter exemplum eſt pro M. Cœlio. Si vidua libere, proterua petulanter,diues effuſe, libidinoſa meretricio more viueret : adulterum ego putarem , ſi quis hanc paulo liberius ſalutaſſet ? Nam & impudicam meretricem vocauit : & eum cui longior cum illa fuerat vſus, liberius ſalutaſſe . Hoc genus increſcit, ac fit manifeſtius, ſi ampliora verba cum ipſis nominibus , pro quibus ea poſituri ſumus, conferantur:vt Cicero in Verrem.Non enim furem,ſed raptorem:non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ.¶Quatuor tamẽ maxime generibus video conſtare amplificationẽ, incremento,cõparatione,ratiocinatione,congerie.Incrementum eſt potentiſſimũ , cũ magna videntur etiam quæ inferiora ſunt . Id autem

Amplificatio quibus conſtet.

Incrementum

gradu vno fit, aut pluribus:per id venitur non modo ad ſummum,ſed interim quodammodo ſupra ſummum.Omnibus his ſufficit vel vnum Ciceronis exemplum. Facinus eſt vincire ciuē Romanum,ſcelus verberare, prope parricidiũ necare,quid dicam in crucem tollere?Nam etſi tantum verberatus eſſet : vno gradu increuerat, ponendo etiam id eſſe facinus, quod erat inferius. Etſi tantum occiſus eſſet, per plures gradus aſcenderat. Cum vero dixerit prope parricidium necare:·ſupra quod nihil eſt adiecit,quid dicam in crucem tollere?Verũ vt hæc amplificatio in ſuperiora tendit:ita quæ fit per comparationem, incrementum ex minoribus petit. Augendo enim quod eſt infra, neceſſe eſt extollat id quod ſupra poſitum eſt: vt idem in eodem loco. *Si hoc tibi inter cœnam,& in illis immanibus poculis tuis accidiſſet, quis non turpe duceret? In cœtu vero Populi Romani.* Interim propoſito velut ſimili exemplo efficiendum eſt vt ſit maius id quod a nobis exaggerandum eſt. Amplificatio per ratiocinationem alibi poſita eſt, alibi valet: vt aliud creſcat,aliud augeatur: inde ad id quod extolli volumus,ratio deducitur. Obiecturus Antonio Cicero merum, & vomitum, Tu (inquit) iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate. Quid fauces & latera ad ebrietatem? minime ſunt otioſa. Nam reſpicientes ad hæc, poſſumus æſtimare quantũ ille vini in Hippiæ nuptijs exhauſerit, quod ferre & coquere non poſſet illa gladiatoria cor-

Amplificatio per incrementum.

Amplificatio per ratiocinationē.

poris firmitate. Ergo ex alio colligitur aliud. Quid? cum res atrociſſimas, quaſq; in ſummam ipſi extulimus inuidiam, eleuamus conſultò: quò grauiora videantur quæ ſecutura ſunt? vt à Cicerone factum eſt, cum illa diceret. Leuia ſunt hæc in hoc reo crimina: metum virgarum Nauarchus nobiliſſimæ ciuitatis precio redemit, humanum eſt. Alius, ne ſecuri feriretur, pecuniam dedit: vſitatum eſt. Nónne vſus eſt ratiocinatione, qua colligerent audientes, quantum illud eſſet quod inferebatur, cui comparata hæc, humana viderentur, atq; vſitata? Sic quoque ſolet aliud ex alio augeri. Poteſt aſcribi amplificationi congeries quoque verborum & ſententiarum idem ſignificãtium. Nam etiam ſi non per gradus aſcendant, tamen velut aceruo quodam alleuantur. Quid enim tuus ille Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorũ tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Simile eſt hoc figuræ quam συναθροισμὸν vocant: ſed illic plurium rerum eſt congeries, hic vnius multiplicatio. Hæc etiam creſcere ſolet, verbis omnibus altius atq; altius inſurgentibus. Aderat ianitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorq; ſociorum & ciuium Romanorum lictor Sextius. Eadem fere eſt ratio minuendi. Nam totidem ſunt aſcendentibus, quot deſcendentibus gradus. Ideoque vno ero exemplo contentus eius loci, quo Cicero in oratione Rulli hoc dicit. Pauci tamen qui

Congeries.

proximi aſtiterant,neſcio quid illum de lege agraria voluiſſe dicere ſuſpicabantur. Quòd ſi ad intellectum referas, minutio eſt; ſi ad obſcuritatem,incrementum.

## DE GENERIBVS SENTENtiarum.

COnſuetudo iam tenuit, vt mente concepta,ſenſus vocaremus: lumina autem,præcipueque in clauſulis poſita, ſententias: quæ minus crebra apud antiquos, noſtris temporibus modo carent. Ideoque mihi de generibus earum, & de vſu arbitror pauca dicenda. Antiquiſſimæ ſunt, quæ propriè quanuis idem omnibus ſit nomen, ſententiæ vocantur, quas Græci γνώμας appellant, interim tantum ad rem relata:vt,Nihil eſt tam populare quàm bonitas.Interim autẽ ad perſonam,quale eſt Afri Domitij. Princeps qui vult omnia ſcire,neceſſe habet multa ignoſcere. Hanc quidam partem Enthymematis,quidam initium aut clauſulam epicheirematis eſſe dixerunt, & eſt aliquando, non tamen ſemper.Illud verius,eam aliquando ſimplicem, vt eam quam ſupra dixi, aliquando ratione ſubiecta. Nam in omni certamine qui opulentior, etiam ſi accipit iniuriam,tamen quia plus poteſt, facere videtur. Nonnunquam duplicem. Obſequium amicos, veritas odium parit.Sunt & qui decem genera fecerunt. Illud notabile ex diuerſis. Mors miſera non eſt; aditus ad mortem, miſer eſt. Ac

Senſus.

Simplex ſententia.

Duplex ſententia.

recte quidem ſunt tales. Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod nõ habet. Sed maiorem vim accipiũt ex mutatione figurę, vt, Vſqueadeóne

Sẽtentia ad perſonam relata.

mori miſerum eſt? Vertit ad perſonam Cicero. Nihil habet Cęſar nec fortuna tua maius, quàm vt poſſis: nec natura melius, quàm vt velis ſeruare quamplurimos. Ita quæ erant rerum propria, fecit hominis. In hoc genere cuſtodiendum eſt, & id quidem vbiq;, ne crebræ ſint, ne

Enthymema quid.

palàm falſæ. Enthymema quoque, eſt omne quod mente concipimus. Proprie tamen dicitur, quæ eſt ſententia ex contrarijs: propterea quòd eminere videtur inter cæteras. Et addita in clauſula eſt epiphonematis modo, non tam probatio, quàm extrema quaſi inſultatio.

Epiphonema.

Eſt enim epiphonema rei narratæ vel probatæ ſumma acclamatio. Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Eſt & quod appel-

νόημα.

latur a nouis νόημα: qua voce omnis intellectus accipi poteſt. Sed hoc nomine donarunt ea quæ non dicunt, verum intelligi volunt, vt in eum quem ſæpius a ludo redemerat ſoror, agentem cum ea talionis quòd ei pollicem dormienti recidiſſet, Eras dignus, vt haberes integram manum. Sic enim auditur, vt depugnares. Vocatur aliquid & clauſula: quæ ſi eſt quod concluſionem dicimus: & recte, & quibuſdam in partibus neceſſaria eſt. Quare prius de facto veſtro fateamini neceſſe eſt quàm Ligarij vllam culpam reprehendatis. Iam hæc magis noua ſententiarum genera ex opinato: vt dixit Vibius Criſpus in eum, qui cum lo-

ticatus in foro ambularet, prætendebat ſe id metu facere. Quis tibi ſic timere permiſit? Dēſitas earum obſtat inuicem, vt in ſatis omnibus fructibuſque aruorum: quorum nihil ad iuſtam magnitudinem adoleſcere poteſt, quod loco in quem creſcat caret. Porrò vt affert lumen clauus purpuræ loco inſertus: ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis veſtis. Huic quibuſdam contrarium ſtudium, qui fugiunt ac reformidant hanc in dicendo voluptatem: nihil probantes niſi planum, & humile, & ſine conatu. Ita dum timent ne aliquando cadant, ſemper iacent. Ego vero hæc lumina orationis velut oculos quoſdam eloquentiæ eſſe credo. Sed neq; oculos eſſe toto corpore velim: ne cætera membra ſuum officium perdant. Et ſi neceſſe ſit, veterem illum horrorem dicendi malim, quàm hanc nouam licentiā. Reddam nunc quam proximam eſſe dixeram partem de tropis: quos motus clariſſimi noſtrorum authores vocant.

Sētētiarum denſitas obſtat inuicē.

## DE TROPIS.

TRopus eſt verbi vel ſermonis a propria ſignificatione in aliā cum virtute mutatio. Inter tropos longe pulcherrima trāſlatio, quę metaphora græce dicitur. Quæ quidem cum ita eſt ab ipſa nobis cōceſſa natura, vt indocti quoq; ac nō ſentientes ea frequenter vtantur: tum ita iucunda atq; nitida, vt in oratione quālibet clara, proprio tamen

Tropꝰ quid

Tranſlatio metaphora græce.

lumine eluceat. Neque enim vulgaris eſſe, nec humilis, nec inſuauis, recte modo aſcita ſit, poteſt. Copiam quoq; ſermonis auget permutando, aut mutuando quæ non habet: quodque difficillimum eſt, præſtat ne vlli rei nomen deeſſe videatur. Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco in quo proprium eſt, in eum aut quo proprium deeſt, aut tranſlatum proprio melius eſt. Id facimus, aut quia neceſſe eſt, aut quia ſignificantius, aut (vt dixi) quia decentius. Neceſſitate ruſtici dicunt gemmam in vitibus. Quid enim dicerent aliud? & ſitire ſegetes, & fruticibus laborare. Neceſſitate nos durum hominem, aut aſperum. Non enim proprium erat, quod daremus his affectibus nomen. Iam incenſum ira, & inflammatum cupiditate, & lapſum errore ſignificandi gratia. Nihil enim horum ſuis verbis, quàm his acerſitis, magis proprium erat. Illa ad ornatum lumen orationis, & generis claritatem, & concionum procellas, & eloquentiæ flumina ſpectant: vt Cicero pro Milone Clodium fontem gloriæ eius vocat, & alio loco ſegetem, ac materiam. In totum autem Metaphora breuior eſt quàm ſimilitudo: eoque diſtat, quòd illa comparatur rei quam volumus exprimere, hæc pro ipſa re dicitur. Huius vis omnis maxime quadruplex videtur. Sumitur enim à deflexione, quoties vox è propinquo ad rem proximam deflectitur:

vt { videre / audire } pro { intelligere. / obtemperare.

Ab irratio nali ad ra tionale: } vt { apud Liuiũ, q Scipionẽ a Catone adlatrari ſolitũ refert. Terent. Quid ille ganuit ? quod vulpiũ proprium eſt.

A rationali ad irrationale: vt ſi perfidum vulpem dicamus.

Ab animali ad nõ animal } vt { ridet ager. parturit arbos.

A nõ animali ad animal } vt { ambo florentes ætatibus. viridis ætas.

Ab animali ad animal, vt paſcentes apes.

Ab inanimato ad inanimatum } vt { oratio fluit. ſylua ſcatet.

Sunt quædã metaphoræ } { ἀκολουθαὶ: vt gubernator pro auriga. quæ poſſunt conuerti. ἀνακολουθαὶ vt vertex: qđ rectè ab hoīe ad mõtẽ trãſfertur. Cacumẽ, qđ mõtis eſt, non itẽ.

Vt autem modicus atq; opportunus eius vſus illuſtrat orationem: ita frequens & obſcurat, & tædio complet. Continuus vero in allegoriam, & ænigmata exit. Sunt quædam & humiles tranſlationes, vt ſaxea eſt verruca, & ſordida. Non enim ſi Cicero rectè ſentinam Reipublicæ dixit, fœditatem hominum ſignificãs: iccirco probem illud quoque veteris oratoris, Perſecuiſti Reipublicæ vomicas. Cauendum ne nimio maior, aut, quod ſæpius accidit, minor: ne diſſimilis: quorum exempla nimium frequenter deprehendet, qui ſcierit hæc vitia eſſe. Sunt & duræ, id eſt a longinqua ſimilitu- Opportunus mataphoræ vſus orationem illuſtrat.

Metaphoræ ratio. dine ductæ, vt capitis niues. Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet: aut ſi in alienum venit, plus valere eo quem expellit. Quod aliquanto penè iam magis de ſynecdoche dicam. Nam tranſlatio permouendis animis plerunq́, & ſignandis rebus, ac ſub oculos ſubijciendis reperta eſt. Hæc variare ſermonē poteſt, vt ex vno plures intelligamus: parte totum, ſpecie genus, præcedentibus ſequentia, vel cōtrà: omnia liberiora poëtis quàm oratoribus. Nam proſa vt mucronem pro gladio, & tectū pro domo recipiet: ita non puppim pro naui. Nec procul ab hoc genere diſcedit Metonymia, quæ eſt nominis pro nomine poſitio: cuius vis eſt, pro eo quod dicitur, cauſam propter quā dicitur, ponere: vt ait Cicero. Hypallagen Rhetores dicunt. Hæc inuenta ab inuentore, & ſubiecta ab obtinentibus ſignificat: vt, Cererem corruptam vndis. Vt autem Vulcanum pro igne vulgo audiuimus, & vario Marte pugnatum, eruditus eſt ſermo: & Venerem quàm coitum dixiſſe magis decet: ita Liberum & Cererem pro vino & pane licentius, quàm vt fori ſeueritas ferat: ſicut ex eo quod continet, id quod continetur, vſus recipit: vt bene moratas vrbes, & poculum epotum. Illud quoq́ & poëtis & oratoribus frequens, quo eum qui efficit, ex eo quod efficitur, oſtendimus. Nam & carminum authores, Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumq́ turres: &, Pallenteſque habitant morbi, triſtiſq́ ſenectus: & orator præcipitē iram, hilarem adoleſcentiam:

Metonymia

Hypallage.

ſegne otium dixit. Eſt etiam huic tropo quædã cum ſynecdoche vicinia. Nam dico vultus hominis pro vultu. Antonomaſia quę aliquid pro nomine ponit, poetis quoq; modo frequentiſſima: & per epitheton, quia detracto eo cui apponitur, valet pro nomine: Tydides, Pelides. Oratoribus etiam ſi rarus eius rei, nonnullus tamen vſus eſt. Nã vt Tydidem & Pelidẽ non dixerint: ita dixerunt impiũ pro parricida. Euerſorem quoq; Carthaginis & Numãtiæ pro Scipione: & Romanæ eloquentiæ principem pro Cicerone poſuiſſe nõ dubitent. Onomatopœia quidem, id eſt fictio nominis, græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur. Et ſunt plurima ita poſita ab iis, qui ſermonẽ primi fecerunt, aptantes affectibus vocẽ. Nam mugitus & ſibilus, & murmur inde venerunt. Vix illa quæ παραγόμενα vocant: quæ ex vocibus in vſum receptis quocunq; modo declinantur, nobis permittimus: qualia ſunt ſullaturit. Eo magis neceſſaria κατάχρησις: quam recte dicimus abuſionem: quæ non habentibus nomen ſuum, accommodat quod in proximo eſt. Sic parricida, matris quoq; aut fratris interfector. Supereſt ex his quæ aliter ſignificant, μετάληψις, id eſt tranſumptio: quæ ex alio in aliud velut viã pręſtat: tropus & rariſſimus, & maximè improprius: Græcis tamen frequentior: qui Centaurum Chirona, & νήσους θοὰς ὀξείας dicunt. Nos quis ferat, ſi Verrem ſuem, aut Lælium doctum nominemus? Cætera iam non ſignificandi gratia, ſed ad ornandam mo-

Antonomaſia.

Onomatopœia.

παρά-γόμενα quæ dicant.

κατά-χρησις ideſt abuſio

μετάληψις.

Epitheton id eſt appoſitum.

do,non augendam orationem aſſumuntur. Ornat enim epitheton: quod recte dicimus appoſitum, à nonnullis ſequens dicitur.O ſcelus abominandum.O deformem libidinem. Exornatur autem res tota maximè tranſlationibus,cupiditas effrenata, & inſanæ ſubſtructiones. At

ἀλληγορία. i.inuerſio.

ἀλληγορία,quam inuerſionem interpretamur, aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit: ac etiam interim contrarium . Prius: vt, O nauis referent in mare te noui fluctus : ô quid agis , fortiter occupa portum. Totúſque etiam ille Horatij locus: quo nauim pro Republi.fluctuum tempeſtates pro bellis ciuilibus: portum pro pace atque concordia dicit . Tota apud Ciceronem talis. Hoc miror enim , querórque quenquam hominem ita peſſundare alterum verbis velle, vt etiam nauem perforet, in qua ipſe nauiget. Illud commixtum frequentiſſimum. Equidem cæteras tempeſtates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper Miloni putaui eſſe ſubeundas.Niſi adieciſſet,duntaxat fluctibus concionum,eſſet allegoria:nunc eam miſcuit.Illud vero longe ſpecioſiſſimum genus o-

Orationis ſpecioſiſſimũ genus.

rationis,in quo trium permixta eſt gratia,ſimilitudinis, allegoriæ,& tranſlationis.Quod fretum,quem Euripum,tot motus,tantas,tam varias habere creditis agitationes, commutationes,fluctus,quantas perturbationes,& quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus vnus , aut nox interpoſita ſæpe & perturbat omnia,& totam opinionem parua nonnũquam commutat aura rumoris . Nam id quo-

que in primis eſt cuſtodiendum,vt quo ex genere cœperis tranſlationis,hoc deſinas. Multi autem,cum initium à tempeſtate ſumpſerunt, incendio aut ruina finiunt,quę eſt in conſequẽtia rerum fœdiſſima.In eo vero genere quo cõtraria oſtenduntur , Ironia eſt : illuſionem vocant: quæ aut pronunciatione intelligitur, aut perſona, aut rei natura . nota ſunt eius exempla.Præter hæc vſus eſt allegoriæ: vt triſtia dicamus melioribus verbis, aut bonæ rei gratia: quædam contrarijs ſignificemus : aliud textu: quæ & enumerauimus. Hęc ſi quis profecto ignorat quibus Græci nominibus appellant , σαρκασμὸν,ἀστεισμὸν,ἀντίφρασιν, παροιμίαν dici ſciat. Sunt etiam qui hęc non ſpecies allegoriæ, ſed ipſa tropos dicunt , acri quidem ratione, quòd illa obſcurior ſit, & in his omnibus aperte appareat quod velimus . Adijcitur his μυκτηρισμὸς,ſimulatus quidem , ſed non latens deriſus. Pluribus autem verbis, cum id quod vno aut paucioribus certe dici poteſt, explicatur: Periphraſin vocant, circuitum loquendi : qui nonnunquam neceſſitatem habet, quoties dictu deformia operit : vt Salluſtius, Ad requiſita naturæ.interim ornatum petit ſolum : qui eſt apud poetas frequentiſſimus: vt, Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris Incipit: & dono diuûm gratiſſima ſerpit. Et apud oratores non rarus , ſemper tamen aſtrictior.Quicquid enim ſignificari breuius poteſt,& cum ornatu latius oſtenditur,περίφρασις eſt:cui nomen latine datum eſt , non ſane

Metaphoræ ratio,vt vitium in ea vitetur.

Ironia.

σαρκασμὸς.

ἀστεισμὸς.

ἀντίφρασις.

παροιμία.

μυκτηρισμὸς.

periphraſis.

orationis aptum virtuti,circunlocutio. Verum hęc vt cum decorem habet,periphraſis:ita cum in vitium incidit,περισσολογία dicitur.Obſtat enim quicquid non adiuuat.Hyperbaton quoque,id eſt verbi tranſgreſſionem:quam frequenter ratio comparationis & decor poſcit,nō immerito inter virtutes habemus. fit enim frequẽtiſſime aſpera,& dura,& diſſoluta, & hians oratio, ſi ad neceſſitatem ordinis ſui verba redigantur,& vt quodque oritur, ita proximis etiã ſi vinciri non poteſt, alligetur. Differenda igitur quædam & pręſumenda,atq; vt in ſtructuris lapidum impolitiorum, loco quo conuenit quicq; ponendũ.Nec aliud poteſt ſermonẽ facere numeroſum, quàm opportuna ordinis mutatio.Ἀναστροφὴ dicitur reuerſio quædam:qualia ſunt vulgo,mecum,tecum,ſecum:apud oratores & hiſtoricos, quibus de rebus. At cũ decoris gratia contrahitur longius verbum, proprie hyperbati tenet nomen. Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Nã in duas parteis diuiſam eſſe, rectum erat : ſed durum & incomptum. Hyperbolen audacioris ornatus ſummo loco poſui. Eſt hæc dementiens ſuperiectio. Virtus eius ex diuerſo par augendi atq; minuendi fit pluribus modis.Aut enim plus facto dicimus: ſicut,vomens fruſtis eſculentis gremium ſuum & totum tribunal impleuit. Geminiq; minantur In cælum ſcopuli.Aut res per ſimilitudinẽ attollimus. Credas innare reuulſas Cycladas. Aut per comparationem.fit alijs etiam modis

περισσολογία.

Hyperbatō

ἀναστροφή.

Hyperbole.

# EX LIBRO NONO FABII, IN QVO DIFFERANT FIGVRæ à tropis.

PRoximo libro de tropis dictum, nunc dicemus de figuris quę ſchemata gręce vocantur. Differentia igitur inter tropum & figuram eſt: Tropus ſermo eſt à naturali & principali ſignificatione trãſlatus ad aliam ornandæ orationis gratia, vel (vt grãmatici finiũt) dictio ab eo loco in quo propria eſt, tranſlata in eum in quo propria non eſt. Figura eſt (ſicut nomine ipſo patet) conformatio quædam orationis remota à communi & primum ſe offerente ratione. Quare in tropis ponuntur verba alia pro alijs, vt in μεταφορᾷ, μετωνυμίᾳ. Illud tamen notandum, coire frequenter in eaſdem ſententias, & tropon, & figuram. Tam enim tranſlatis verbis, quàm proprijs figuratur oratio. Eſt autem non mediocris inter authores diſſenſio, & quę vis nominis eius, & quot genera, & quàm multæ ſint ſpecies. Quare primum intuendum eſt, quid accipere debeamus figuram. Nam duobus modis dicitur. Vno, qualiſcunque forma ſententię: ſicut in corporibus in quibus quoquo modo ſunt compoſita, vtique habitus eſt aliquis. Altero, quod proprie ſchema dicitur, in ſenſu vel

Schemata.

Differentia inter figurã & tropum.

Figura quid dicatur.

ſermone,aliqua à vulgari & ſimplici ſpecie cũ ratione mutatio : ſicut nos ſedemus, incumbimus,reſpicimus . Inter plurimos autem,quod ſciam,cõſenſum eſt duas eius eſſe partes, διανοίας,id eſt mentis vel ſenſus,vel ſentẽtiarum. nam ijs omnibus modis dictum eſt.& λέξεως, id eſt verborum,vel dictionis, vel elocutionis, vel ſermonis,vel orationis.Nam & variatur,& nihil refert . Quare ſicut omnem orationem, ita figuras quoque verſari neceſſe eſt in ſenſu & in verbis.Vt vero natura prius eſt concipere animo res quàm enũciare: ita de ijs figuris ante loquendũ eſt,quæ ad mentẽ pertinent: quarum quidem vtilitas tum magna , tum multiplex, in nullo nõ orationis opere vel clariſſime lucet . Nam etſi minime videtur pertinere ad probationẽ, qua figura quicq; dicatur : facit tamẽ credibilia quę dicimus,& in animos iudicũ quà non obſeruatur irrepit. Plurimũ tamen ad commendationem facit, ſiue in conciliandis agentis moribus, ſiue ad promerẽdũ actioni fauorem, ſiue ad leuandum varietate faſtidium, ſiue quædam vel decentius indicanda, vel tutius. Sed antequam quæ cuiq; rei figura cõueniat oſtendo, dico nequaquam eas eſſe tã multas,quàm ſint à quibuſdam conſtitutæ.

Figuræ vtilitas.

## DE FIGVRIS SENTENTIARVM.

NVnc mihi de his ſententiarum figuris dicere in animo eſt, quæ ab illo ſimplici modo indicandi recedunt : quod idem multis doctiſſimis viris video placuiſſe . Omnia

tamen illa etiam quæ ſunt alterius modi lumi-na,adeo ſunt virtutes orationis,vt ſine ijs nulla vere intelligi poſſit oratio. Nam quomodo iu-dex doceri poteſt, ſi deſit illuſtris explanatio, propoſitio,præmiſſio,finitio,ſeiunctio,expoſi-tio,ſententię ſiue rationis apta concluſio, præ-munitio, ſimilitudo,exemplum,digeſtio,diſtri butio, interpellatio, interpellantis correctio, contentio, purgatio, læſio? Incipiamus autem ab ijs quibus acrior & vehementior fit proba-tio:quod primo loco poſuimus. Simplex eſt ſic rogare.Sed vos qui tandem?quibus aut veniſtis ab oris?Figuratum autem quoties non ſciſcitan di gratia aſſumitur,ſed inſtandi. Quid tuus il-le Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Interrogamus etiam quod negari non poſſit. Aut vbi reſpondendi difficilis eſt ratio, vt vulgo vti ſolemus· Quomodo? qui fieri po-teſt? Aut inuidiæ gratia : vt Medea apud Se-necam.Quas peti terras iubes? Aut miſeratio-nis, vt Sinon apud Vergilium . Heu quæ me tellus (inquit) quæ me æquora poſſunt Acci-pere? Aut inſtandi, & auferendæ diſſimulatio-nis : vt Aſinius . Audíſne ? furioſum inquam non inofficioſum teſtamentum reprehendi-mus. Totum hoc plenum eſt varietatis. Nam & indignationi conuenit. Et quiſquam numen Iunonis adoret ? Et admirationi . Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames ? Et interim acrius imperandi genus . Non arma expedient:totáque ex vrbe ſequentur ? Et ipſi noſmet rogamus: quale eſt illud Terẽtianum.

Interroga-tiones figu-ratæ.

Quid igitur faciã? Eſt aliqua etiam in reſpondendo figura, cum aliud interroganti. Cæterũ etiam interrogandi ſe ipſos, & reſpondendi ſibi. Aliter pro Cœlio ficta interrogatione. Dicet aliquis. Hæc igitur tua eſt diſciplina? Sic tu inſtituis adoleſcentes? Cui diuerſum eſt, cũ alium rogaueris, non expectare reſponſum: & ſtatim ſubijcere. Dom⁹ tibi deerat? at habebas. Fit & comparatione. Mire vero in cauſis valet

Prolepſis. Pręſumptio. præſumptio: quæ πρόληψις dicitur: cum id quod obijci poteſt, occupamus. Id neque in alijs partibus parum eſt: & præcipue procemio

Præmunitio. cõuenit. Eſt enim quædam pręmunitio, qualis Ciceronis contra Q. Cęcilium: quòd ad accuſandũ deſcendat, qui ſemper defenderat. Quæ-

Confeſſio. dam confeſſio, vt pro Rabirio Poſthumo: quẽ ſua quoque ſententia reprehendendum fateretur: quòd pecuniam regi crediderit. Quædam

Prædictio. prædictio: vt, Dicam enim non augendi cri-

Emendatio. minis cauſa. Quædam emendatio: vt, Rogo ignoſcatis mihi, ſi longius ſum euectus. Frequentiſſima præparatio: cum pluribus verbis vel quare facturi quid ſimus, vel quare fecerimus, dici ſolet. Verborum quoque vis ac proprietas confirmatur vel præſumptione, quanquam illa nõ pœna, ſed prohibitio ſceleris fuit: aut reprehenſione. Ciues inquã, ſi hoc eos appellari nomine fas eſt. Affert aliquam fidem

Dubitatio. veritatis & dubitatio, cum ſimulamus quærere nos vnde incipiendum: vbi definiendum: quid potiſſimum dicendum: an omnino dicendum ſit: cuiuſmodi exẽplis plena ſunt omnia.

Sed vnum interim ſufficit. Equidem quod ad me attinet,quò me vertam,neſcio. A quo ſchemate non procul abeſt illa quæ dicitur communicatio : cum aut ipſos aduerſarios conſulimus, aut cum iudicibus quaſi deliberamus, quod eſt frequentiſſimum. Quid ſuadetis? & vos interrogo, quid tandem fieri oportuit? Eſt pene idem fons illius, quam permiſſionem vocant,qui communicationis,cum aliqua ipſis iudicibus relinquimus æſtimanda, aliqua nonnunquam aduerſarijs quoque. Exclamatio, ô tempora,ô mores, ô miſerum me.Quod idem fit de oratione libera, quam Cornificius licentiam vocat, Græci παῤῥησίαν.Quid enim minus figuratum,quàm vera libertas? Sed frequēter ſub hac facie latet adulatio. Cicero, Quid autem aliud egimus Tubero, niſi vt quod hic poteſt, non poſſemus? Illa adhuc audaciora, & maiorum (vt Cicero exiſtimat) laterum, fictiones perſonarum, quæ προσωποποιίαι dicuntur. Mirè nanque tum variant orationem,tum excitant. His etiam aduerſariorum cogitationes,velut ſecum loquentiū, protrahimus : quæ tamen ita demum a fide non abhorrent, ſi ea locutos finxerimus, quæ cogitaſſe eos non ſit abſurdum. Sermones hominum aſſimulatos dicere διαλόγους malunt, quàm quod latinorū quidam dixerunt, ſermocinationem. Ego iam recepto more vtrunque eodem modo appellaui. Sed formas quoq; fingimus ſæpe, vt famam Vergilius, vt voluptatem ac virtutem (quemadmodum à Xenophonte traditur) Prodicus.

Communicatio.

Permiſſio.

Licentia.

προσωποποιίαι

Sermocinatio.

Eſt & incertæ perſonæ ficta oratio. Hic ali-
quis.&, dicat aliquis. Auerſus quoque a iudice
Apoſtrophe ſermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire mouet, ſi-
ue aduerſarios inuadimus. Quid enim tuus il-
le Tubero in acie Pharſalica gladius agebat?
Siue ad inuocationem aliquam conuertimur.
Vos enim Albani Tumuli atque luci. Siue ad
inuidioſam implorationem. O leges Porciæ, le-
geſque Semproniæ. Sed illa quoque vocatur a-
Auerſio. uerſio, quæ a propoſita quæſtione abducit au-
Subiectio. dientem. Illa vero (vt ait Cicero) ſub oculos
ſub oculos. ſubiectio, tum fieri ſolet, cum res non geſta
indicatur, ſed vt ſit geſta oſtenditur, nec vni-
uerſa, ſed per partes: quem locum proximo li-
bro ſubiecimus euidentiæ. Celſus hoc nomen
ὑποτύ- iſti figuræ dedit, ab illis ὑποτύπωσις dicitur,
πωσις. propoſita quædam forma rerum ita expreſſa
verbis, vt cerni potius videatur, quàm audiri.
Ipſe inflammatus ſcelere ac furore, in forum
venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas
emicabat. Locorum quoque dilucida & ſigni-
ficans deſcriptio eidem virtuti aſſignatur à
τοπο- quibuſdam, alij τοπογραφίαν dicunt. Εἰρω-
γραφία. νείαν inueni qui diſſimulationem vocarēt: quo
Ironia, nomine, quia parum totius huius figuræ viden-
id eſt diſſi- tur vires oſtendi: nimirum ſicut in pleriſque
mulatio. græca erimus appellatione contenti. Apopha-
Apophaſis. ſis eſt, quod opinor, fere idem, quod & occu-
patio. Non agam tecum iure ſummo, non di-
cam quod forſitan obtinerem: &, Quid ego
iſtius decreta? quid rapinas? quid hæreditatum
poſſeſſiones datas? quid ereptas proferam? &,

Mitto illam primã libidinis iniuriã. Ειρωνεία eſt & cum ſimiles imperantibus vel permittentibus ſumus: I ſequere Italiam ventis. Et cũ ea quæ nolumus videri in aduerſarijs eſſe, concedimus eis. fit ea multis modis. Antiphraſis, verbi vnius ironia, vt bellum. ἀποσιώπησις, quam idem Cicero reticentiam, Celſus obticentiam, nonnulli interruptionem appellãt, & ipſa oſtẽdit aliquid affectus, vel iræ: vt, Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus. Imitatio morum alienorum, quæ ἠθοποιία, vel (vt alij malunt) μίμησις dicitur, iam inter leuiores affectus numerari poteſt. Eſt enim poſita fere in eludendo: ſed verſatur & in factis, & in dictis. In factis, quod eſt ὑποτυπώσει vicinum. In dictis, quale eſt apud Terentium. At ego ne ſciebam quorſum tu ires. Paruula hinc eſt abrepta, eduxit mater pro ſua, ſoror dicta eſt. Eſt emphaſis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: vt apud Vergilium. Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam Degere more feræ? Quanq̃ enim de matrimonio queritur Dido: tamen huc erupit eius affectus, vt ſine thalamis vitam hominum non putet, ſed ferarum. Aliud apud Ouidium genus, apud quem & Myrrha nutrici amorem patris ſic confitetur. O, dixit, felicem coniuge matrem. Eſt & per quandam ſuſpicionem, cũ quod non dicimus, accipi volumus: nõ vtique contrarium, vt in εἰρωνεία, ſed aliud latens, & auditori quaſi inueniendum: quod, vt ſupra oſtendi, iam ferme ſolum ſchema a no-

Ironia quid

Antiphraſis

ἀποσιώπησις.

ἠθοποιία, vel μίμησις

Emphaſis.

Cõtrouerſię figuratæ. ſtris vocatur, & vnde controuerſiæ figuratæ dicuntur. Eius triplex vſus eſt: vnus, ſi dicere palàm parum tutum eſt: alter, ſi non decet: tertius, qui venuſtatis modo gratia adhibetur, & ipſa nouitate, ac varietate magis quàm ſi relatio ſit recta, delectat. Sed ſchematum conditio non eadem eſt. Ideoque hoc parcius & circunſpectius faciendum: quia nihil intereſt quo modo offendas, & aperta figura perdit hoc ipſum quod figura eſt. Ideoque a quibuſdam tota res repudiatur, ſiue intelligatur, ſiue non. Sed licet modum adhibere: in primis, ne ſint manifeſtæ. Sed ne, ſi optimæ quidem ſint, eſſe debent frequentes. Nam denſitate ipſa figuræ aperiuntur: nec offenſæ minus habent, ſed authoritatis. Nec pudor videtur quod non palàm obijcias, ſed diffidentia. In ſumma, ſic maxime iudex credit figuris, ſi nos putat nolle dicere. Cum autem obſtat nobis perſonæ reuerentia (quod ſecundum poſuimus genus) tanto cautius dicendum eſt, quanto validius bonos inhibet pudor, quàm metus. Hic vero tegere nos iudex quod ſciamus, & verba vi quadam veritatis erumpentia credat coercere. Nam tanto minus, aut ipſi in quos dicimus, aut iudices, aut aſſiſtẽtes oderint hanc maledicendi laſciuiam, ſi nolle nos credant. Sed hæc annotaſſe ſatis erit.

Modus figurarum.

## DE FIGVRIS VERBORVM.

Verborum vero figuræ & mutatæ ſunt ſemper, & vtcunque valuit conſuetudo, mutantur. Itaque ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus: penè quicquid loquimur, figura eſt. Verum ſchemata λέξεως duorum ſunt generum: alterum loquendi rationem vocant, alterum quod collocutionem, maxime exquiſitum eſt. Quorum vtrunque tametſi conuenit orationi, tamen poſſis illud grammaticum, hoc magis Rhetoricum dicere. Prius fit ijſdem generibus quibus vitia. Eſſet enim omne ſchema vitium, ſi non peteretur, ſed accideret. Verum authoritate, vetuſtate, conſuetudine plerunque defenditur: ſæpe etiam ratione quadam. Ideoque cum ſit a ſimplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus eſt ſi habet probabile aliquid quod ſequatur. Fiunt ergo & circa genus figuræ in nominibus. Nam & oculis capti talpæ, & timidi damæ dicuntur a Vergilio, ſed ſubeſt ratio, quia ſexus vterque altero ſignificatur. Tam enim mares eſſe talpas damaſque, quàm fœminas, certum eſt. Et in verbis, vt fabricatus eſt gladiū, & inimicos punitus eſt. Eſt figura & in numero, vel cum ſingularis plurali ſubiungitur. Gladio pugnaciſſima gēs Romani. Vtimur & verbo pro participio: Magnum dat ferre talentum, tanquam ferendum: & participio pro verbo. Volo datum. Transferuntur etiam tempora. Timarchides negat ei eſſe periculū a ſecuri. Præ-

Schemata λέξεως duorū ſunt generum.

Quotmodis figuræ verborū fiant.

ſens enim pro præterito poſitum eſt, & futurum pro præſenti. Ex græco vero tranſlata, vel Salluſtij plurima, quale eſt, Vulgus amat fieri. Ex eadem parte figurarum additio & abiectio eſt. Vtimur vulgo & comparatiuis pro abſolutis, vt cum ſe quis infirmiorem eſſe dixerit. Duo inter ſe comparatiua committimus. Si te Catilina comprehendi, ſi interfici iuſſero, credo erit verendum mihi, ne non potius omnes boni ſerius a me, quàm quiſquam crudelius factum eſſe dicat. Et numerum mutamus: vt, Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor. Et de pluribus ſingulariter. Et de nobis loquimur tanquam de alijs. Dicit Seruius: Negat Tullius. Et noſtra perſona vtimur pro aliena, & alios pro alijs fingimus. Illa quoq; ex eodem genere poſſunt videri, quam nos interpoſitionem,

Parentheſis vel interclusionem dicimus. Græci παρένθεσιν vocant, dum continuationi ſermonis medius aliquis ſenſus interuenit. Ego cum te (mecum enim ſæpiſſime loquitur) patriæ reddidiſſem.

Hyperbatō. Cui adijciunt Hyperbaton: non illud quod inter tropos eſſe voluerunt, ſed alterum, quod eſt eius figuræ ſententiarum, quæ ἀποστροφὴ dicitur, ſimile: cum non ſenſus mutatur, verum forma eloquēdi. Qui tam parua momenta no-

μετάβασις. minibus diſcreuerunt, μετάβασιν vocāt, quam & aliter fieri putant. Quid loquor, aut vbi ſum? Hæc ſchemata, aut his ſimilia, quæ erunt per mutationem, adiectionem, detractionem, ordinem: & conuertunt in ſe auditorem, nec languere patiuntur, ſubinde aliqua notabili figu-

ra excitatum. Illud eſt acrius genus, quod non tantum in ratione poſitum eſt loquēdi, ſed ipſis ſenſibus tum gratiam, tum etiam vires accommodat. E quibus primum ſit quod fit per adiectionem, plura ſunt genera. nam & verba geminantur, vel amplificãdi gratia: vt occidi, occidi, non Spurium Melium. Alterum enim eſt quod indicat, alterum quod affirmat. vel miſerandi: vt, Ah Corydon, Corydon. Quæ eadem figura nonnunquam per ironiam ad eleuãdum euertitur. Similis geminationis poſt aliquam interiectionem repetitio eſt, ſed paulo etiam vehementior. Bona, miſerum me (conſumptis enim lachrymis tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam Cn. Pompeij acerbiſſimæ voci ſubiecta præconis. Viuis, & viuis non ad deponendam, ſed ad confirmãdam audaciam. Et ab iiſdem verbis plura acriter & inſtanter incipiunt. Nihil ne te nocturnum præſidium Palatij, nihil vrbis vigiliæ? Fit caſibus modo hoc ſchema quod πολύπτωτον vocant. Conſtat & alijs etiã modis, vt pro Cluentio. Quod ante tempus veneni dandi? Vnde illa frequentia? per quem porrò datum? Vnde ſumptum? quæ porrò interceptio poculi? cur non autem de integro datum? Hanc rerum coniunctam diuerſitatem Cæcilius μεταβολὴν vocat, qualis eſt pro Cluẽtio locus in Oppianicum, illum tabulas publicas violaſſe, cenſorias corrupiſſe decuriones vniuerſi iudicauerunt &c. Frequentiorem repetitionem πλοκὴν vocant: quæ fit ex permixtis figuris, vt ſupra dixi, vtque ſe ha-

πολύπτωτον alij μεταβολὴν vocant.

bet epiſtola ad Brutum· Ego cum in gratiam redierim cum Appio Claudio,& redierim per Cn.Pompeium,te ego ergo cum redierim. Et in ijſdem ſententijs crebrioribus mutata declinationibus iteratione verborum,vt apud Perſium. Vſqueadeóne Scire tuum nihil eſt,niſi te ſcire hoc ſciat alter? Fit & alijs modis. Congregantur quoque verba idem ſignificantia. Quæ cum ita ſint Catilina,perge quò cœpiſti. Egredere aliquando ex vrbe. Patent portæ,proficiſcere. Figura,quæ quia coniunctionibus caret, diſſolutio vocatur,apta,cum quid inſtantius dicimus. βραχυλογίαν vocant, quæ poteſt eſſe copulata diſſolutio. Contrariũ eſt ſchema,quod coniunctionibus abũdat. Illud ἀσύνδετον, hoc πολυσύνδετον dicitur, hoc eſt, vel ijſdem ſæpius repetitis:vt Tectumq́;,laremq́;,Armaque, Amycleumq́; canem,creſſamq́; pharetrã. Gradatio quæ dicitur κλίμαξ, apertiorem habet artem,& magis affectatam,ideoque eſſe rarior debet. Eſt autem ipſa quoq́; adiectionis. Repetit enim quæ dicta ſunt:& priuſquam ad aliud deſcendat,in prioribus reſiſtit. At quæ per detractionem fiunt figuræ, breuitatis nouitatiſq́; maximè gratia petuntur: quarum eſt vna ea quam libro proximo in figuras diſtuli ſynecdoche:cum ſubtractum aliquod verbum ſatis ex cæteris intelligitur. Ne ego illud quidẽ apoſiopeſim ſemper voco,in quo res quæcunq́; relinquitur intelligenda, ſed etiam quæ per detractionem figura:de qua modo dictum eſt,cui coniunctiones eximuntur. Tertia quæ dicitur

Cõgregatio verborũ idẽ ſignificãtiũ.

βραχυλογία.

Contrarium

Gradatio.

Synecdoche

Apoſiopeſis quid.

συνεζευγμένον: in qua vnum ad verbum plures ſententiæ referuntur, quarum vnaquæque deſideraret illud, ſi ſola poneretur. Id accidit aut præpoſito verbo ad quod reliqua reſpiciãt. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Aut illato quo plura clauduntur. Neque enim is es Catilina, vt te aut pudor vnquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit. συνοικείωσιν vocant, quæ duas res diuerſas colligat. Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. Cui contraria eſt ea quæ ex vicinia tranſit ad diuerſa aut ſimilia. Breuis eſſe laboro: obſcurus fio, & quæ ſequuntur. Tertium eſt genus figurarũ, quę aut ſimilitudine aliqua vocum: aut paribus, aut contrarijs vertunt in ſe aures atque excitant. Huic nomen eſt προσονομασία, quæ dicitur agnominatio. Ea non vno modo fieri ſolet, ſed varijs. Cui confinis ἀντανάκλασις, eiuſdem verbi contraria ſignificatio: cum Proculeius quereretur de filio, quòd is mortem ſuam expectaret: & ille dixiſſet ſe vero non expectare: imò, inquit, rogo expectes. ὁμοιοτέλευτον, ſimilis duarum ſententiarum vel plurium finis. Non modo ad ſalutem eius extinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam. Ex quibus fere ſunt, non tamen, vt ſemper vltimis conſonent, quæ τρίκωλα dicunt. Vicit pudorem libido: timorem audacia: rationem amentia. Sed in quaternas quoque, ac plures hac ratione ſententias poteſt. Fit etiã ſingulis verbis. Hæc cubat, dolet, piget, pudet:

Figurarum genera.

Proſonomaſia.

Agnominatio.

&, abijt, exceſſit, erupit, euaſit. Tertium eſt, quod in eoſdem caſus cadit, ὁμοιόπτωτον: vtique in eandem finem venit ὁμοιοτέλευτον. Eſt enim ὁμοιόπτωτον tantum caſus ſimilis, etiam ſi diſſimilia ſint quæ declinentur: nec tantum in fine deprehenditur, ſed reſpondent vel prima inter ſe, vel medijs, vel extremis: vt, Amiſſo nuper infelicis aulæ ſi non præſidio inter pericula, tamen ſolatio vitæ inter aduerſa. Ea vero videntur optima, in quibus initia ſententiarum & fines conſentiunt: vt hic, pręſidio, ſolatio: & vt pene ſimilia ſint verbis, & paribus cadant, & eodem modo deſinant. Etiam vt ſint (quod eſt quartum) membris ęqualibus: quod ἰσόκωλον dicitur. Si quantum in agro locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque iudicijs impudentia valeret: ἰσόκωλόν eſt: & ὁμοιόπτωτον habent. Non minus nũc in cauſa cederet Aulus Cecinna, Sexti Ebutij impudentiæ, quantum in vi facienda ceſſit audaciæ. ἰσόκωλον, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον. Contrapoſitum autem, vel vt quidam vocant, contentio (ἀντίθετον dicitur) non vno fit modo. Nam & fit ſi ſingula ſingulis opponuntur: vt in eo quod modo dixi· Vicit pudorem libido: timorem audacia. Et bina binis. Nõ noſtri ingenij: veſtri auxilij eſt. Et ſententiæ ſententijs. Dominetur in concionibus: iaceat in iudicijs. Cui commodiſſime ſubiungitur & ea ſpecies quam diſtinctionẽ diximus. Odit populus Romanus priuatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit, &c. Incredibile eſt quod di-

Optimæ figuræ.

ἰσόκωλον.

ἀντίθετον.

co,ſed verum , ἀνθυπωφορὰν vocant. Quędā ἀνθυπω
verborum figuræ paulum figuris ſententiarum φορά
declinantur:vt dubitatio . Nam cum eſt in re, Dubitatio.
priori parti aſſignanda eſt:cum in verbo,ſequē-
ti.Siue me maliciam , ſiue ſtultitiam dicere o-
portet.Item correctionis eadem ratio eſt . Nā
quod illic dubitat,hic emendat.Vt fateor autē Correctiōis
verborum figuras poſſe plures reperiri à quibuſ ratio.
dam:ita ijs quę ab authoribus claris traduntur,
meliores non aſſentior. Ego illud de his etiam
quæ veræ ſunt,adijciam breuiter : ſicut ornant
orationes opportune poſitæ : ita ineptiſſimas
eſſe,cum immodice petuntur.

## DE COMPOSITIONE.

ANte omnia oratio alia vincta atq;
contexta,ſoluta alia, qualis in ſer-
mone & epiſtolis , niſi cū aliquid
ſupra naturam ſuam tractant, vt
de Philoſophia,de Republica, ſi-
milibuſque. Quod non eo dico, quia non illud
quoque ſolutum habeat ſuos quoſdam & forſi-
tan difficiliores etiam pedes. Neque enim aut
hiare ſemper vocalibus, aut deſtitui tempori-
bus volunt ſermo & epiſtola:ſed nō fluunt nec
cohærent, nec verba de verbis trahunt, vt po-
tius laxiora in his vincula,quam nulla ſint. Nō
nunquam in cauſis quoq; minoribus decet ea-
dem ſimplicitas: quæ non illis, ſed alijs vtitur κόμμα-
numeris:diſſimulatque eos, & tantum commu τα.
nit occultius.At illa connexa ſeries,tres habet κῶλα.
formas:inciſa,quæ κόμματα dicuntur : mem- περίο-
bra quę κῶλα,καὶ περίοδον, quę eſt vel ambi- δος.

tus,vel circunductum,vel continuatio,vel con-
cluſio. In omni porrò cõpoſitione tria ſunt ne-
Ordo cõpoſitionis. ceſſaria,ordo,iunctura,numerus. ¶ Ordinis ob-
ſeruatio in verbis eſt ſingulis & contextis. Sin-
gula ſunt quę diximus ἀσύνδετα. In his ca-
uendum eſt,ne decreſcat oratio,& fortiori ſub-
iungatur aliquid infirmius,vt ſacrilego fur, aut
latroni petulans. Augeri enim debent ſententię
Ordo naturalis & inſurgere. Eſt & alius naturalis ordo, vt vi-
ros ac fœminas , diem ac noctem. Quędam e-
tiam ordine permutato fiunt ſuperuacua , vt
Verbo claudenda oratio. fratres gemini. Verbo ſenſum cludere multo
(ſi compoſitio patiatur)optimum eſt. In ver-
bis enim ſermonis vis ineſt. Sine dubio etiam
omne quod non cludet,hyperbaton eſt. Ipſum
hoc inter tropos vel figuras, quę ſunt virtutis,
receptum eſt. Non enim ad pedes verba dimẽ
ſa ſunt,ideóque ex loco tranſferũtur in locum,
vt iungantur quo congruant maximè. Felicif-
Feliciſſimus ſermo. ſimus tamen ſermo eſt , cui & rectus ordo,&
apta iunctura, & cum iis numerus opportune
Tranſgreſſiones vitandæ. cadens contingit. Quædam vero trangreſſio-
nes & longæ ſunt nimis , vt in ſuperioribus di
ximus libris : & interim etiam compoſitione
vitioſæ. Sæpe tamen eſt vehemens aliquis ſen-
ſus in verbo : quod ſi in media parte ſenten-
tiæ latet , tranſiri intentione,& obſcurari cir-
cuniacentibus ſolet. In clauſula poſitum aſ-
ſignatur auditori & infigitur, quale illud Cice-
ronis, Vt tibi neceſſe eſſet in conſpectu popu.
Amphibologia vitãda. Ro. vomere. Tranſfer hoc vltimum,minus va
lebit. Amphibologiam quoque fieri vitioſa lo-

cation e verborum, nemo eſt qui neſciat. ¶ Iunctura eſt rei verbis, inciſis, membris, periodis. Omnia nanque iſta, & virtutes & vitia in complexu habent. Atque, vt ordinem ſequar, primum quæ imperitis ad reprehenſionem notabilia quoque videntur: id eſt, quæ commiſſis inter ſe verbis duobus, ex vltima prioris & prima ſequentis ſyllaba deforme aliquod nomen efficiunt. Tum vocalium concurſus, qui cum accidit, hiat & interſiſtit, & quaſi laborat oratio. Peſſime longæ quæ eaſdem inter ſe literas committunt, ſonabunt. Præcipuus tamen hiatus erit earum, quæ cauo aut patulo maxime ore efferuntur. Quare vt negligentiæ eſt oris offenſionem pati, ita humilitatis vbique perhorreſcere. Demoſthenes ſane & Cicero modice reſpexerunt in hanc partem. Nam & coëuntes literæ, quæ συναλοιφὴ dicuntur, etiam leniorem faciunt orationem, quàm ſi omnia verba ſuo fine cludantur: & nonnunquam hiulca etiam decent faciunt, que ampliora quædam: vt, Pulchra oratione apta omnino iactare cum longæ per ſe & velut optimæ ſyllabæ aliquid etiam medij tēporis inter vocales quaſi interſiſtatur, aſſumunt. Cæterum conſonantes quoque, eæque præcipue quæ ſunt aſperiores in commiſſura verborum, rixantur. Et s vltima cum x proxima: quarum triſtior etiam ſi binæ collidantur, ſtridor eſt, vt ars ſtudiorum. quæ fuit cauſa & Seruio ſubtrahendæ s literæ, quoties vltima eſſet, aliaque conſonante ſuſciperetur. Videndum etiam ne ſyllabæ verbi

Iunctura cō poſitionis.

Præceptum de ſyllabis.

priorıs vltimæ ſint primæ ſequentis.id ne quis præcipi miretur, Ciceroni in epiſtolis excidit· Res mihi inuiſæ viſæ ſunt Brute. & in carmine·O fortunatam natam me conſule Romam. Etiam monoſyllaba, ſi plura ſunt, male continuabuntur : quia neceſſe eſt compoſitio multis clauſulis conciſa ſubſultet:ideoque breuium etiam verborum ac nominum vitanda continuatio . afferunt enim quandam dicendi tarditatem. Illa quoque vitia ſunt eiuſdem loci, ſi cadentia ſimiliter,& ſimiliter deſinentia , & eodem modo declinata,multa iungantur.

Iūctura mēbrorū inciſorumque.

Mēbrorum inciſorumque iunctura non eo modo eſt obſeruanda,quo verborum : quanquam & in his.extrema & prima coeūt.Sed plurimum refert compoſitionis , quæ quibus anteponas. Nam & vomens fruſtis eſculentis vinum redolentibus,gremium ſuum & totum tribunal impleuit.

De numero

¶Nunc de numero . Omnis ſtructura ac dimenſio & copulatio vocum cōſtat aut numeris ( numeros ῥυθμοὺς accipi volo ) aut μέτρῳ,id eſt dimenſione quadam:quod etiam ſi conſtat vtrunque pedibus , habet tamen non ſimplicem differentiā.

Differentia Rythmi & metri.

Nam Rythmi,id eſt numeri,ſpatio temporum conſtant: metra etiam ordine : ideoque alterum eſſe quantitatis videtur, alterum qualitatis. ῥυθμὸς aut par eſt,vt dactylus . vnam enim ſyllabam parem breuibus habet . Eſt quidem vis eadem & alijs pedibus,ſed nomen illud tenet. longam eſſe duorum temporum , breuem vnius , pueri etiam

Pæon.

ſciunt,Aut ſeſquiplex:vt pæon:cuius vis eſt ex

longa & tribus breuibus : quique ei contrarius ex tribus breuibus & longa : vel alio quoquo modo tempora tria ad duo relata, ſeſquiplum faciunt, aut duplex, vt iambus. Nam eſt ex breui & longa, quique eſt ei contrarius. Sunt hi & metrici pedes. Sed hoc intereſt, quòd rythmo indifferens eſt, dactylus ne ille priores habeat breues, an ſequentes. Tempus enim ſolum metitur, vt a ſublatione ad poſitionem iiſdem ſit ſpatijs pedum. In verſu pro dactylo poni non poterit anapæſtus aut ſpondæus, nec penes eandem rationem a breuibus incipiet ac deſinet : neque ſolum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, ſed ne dactylum quidem, aut forte ſpondæum alterum pro altero. Itaque ſi quinque continuos dactylos (vt ſunt in illo: Panditur interea domus omnipotentis olympi) confundas, ſolueris verſum. Sunt & illa diſcrimina, quod rythmis libera ſpatia, metris finita: & his certæ clauſulæ : illi quomodo cœperant currunt vſque ad *μεταβολὴν*, id eſt tranſitum in aliud genus rythmi, & quòd metrum in verbis modo, rythmus etiam in corporis motu eſt. Inania quoque tempora rythmi facilius accipient, quàm hæc, & in metris accidunt. Et metrici quidem pedes adeò reperiuntur in oratione, vt in ea frequenter, non ſentientibus nobis, omnium generum excidant verſus. Et cõtrà, nihil eſt proſa ſcriptum, quod non redigi poſſit in quædam verſiculorum genera. Poſco autem hoc mihi, vt cum pro compoſito dixero numerum, & vbicunq; iam dixi,

Choreus.
Iambus.
Trocheus.

oratorium dicere intelligat. Collocatio autem verba iam probata atque electa, & velut aſſignata ſibi debet conuertere, & figuris mutare & caſus & numeros: quorum varietas frequenter gratia compoſitionis adſcita, etiam ſine numero ſolet eſſe iucunda: etiam vbi aliud ratio, aliud conſuetudo poſcit, vtrum volet, ſumat compoſitio. Vitauiſſe vel vitaſſe: deprehendere, vel deprendere. Ratio vero pedum in oratione eſt multo quàm in verſu difficilior. Primum, quòd verſus paucis continetur: oratio lõgiores habet ſæpe circuitus. Deinde quòd verſus ſemper ſimilis ſibi eſt, & vna ratione decurrit: orationis compoſitio niſi varia, omnibus modis offendit. ¶ Magis tamen & deſideratur in clauſulis, & apparet: primum, quia ſenſus omnis habet ſuum finem, poſſidetq; naturale interuallum, quo a ſequentis initio diuidatur. Deinde quòd aures continuam vocem ſecutæ, ductæque velut prono decurrentis orationis flumine, tum magis iudicant, cum ille impetus ſtetit, & intuendi tempus dedit. Non igitur durum ſit, neque abruptum, quo animi veluti reſpirant ac reficiuntur. Hæc eſt ſedes orationis, hoc auditor expectat, hic laus omnis declamat. ¶ Proximam clauſulis diligentiam poſtulant initia. Nam & ad hęc intentus auditor eſt: ſed eorum facilior ratio. Non enim cohærent præcedentibus, ſed nouum exordium ſumunt: cum illa, quamlibet ſit compoſita, ipſam gratiam perdat, ſi ad eam rupta via veniamus. Vitandum ne plurium ſyllabarum verbis vtamur

Collocatio apta.

Numerorũ in oratione difficultas.

Numerus in fine dominatur.

Numerus in initijs.

in fine. Medijs quoq; non ea modo cura ſit, vt inter ſe cohæreant, ſed ne pigra, ne longa ſint: ne quod nunc maximum vitium eſt, breuium contextu reſultent, ac ſonum reddāt penè pue-rilium crepitaculorum. Nam vt initia clauſu-læq; plurimum momenti habent, quoties incipit ſenſus aut deſinit: ſic in medijs quoq; ſunt quidam conatus, qui leuiter interſiſtunt. Itaque non modo membra atque inciſa bene incipere atque cludi decet, ſed etiam in his quæ non dubie contexta ſunt, nec reſpiratione vtuntur, illi vel occulti gradus. Quis enim dubitet vnum ſenſum ac vnius ſpiritus eſſe, Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes? Tamen & duo prima verba, & tria proxima, & deinceps duo rurſus ac tria ſuos quaſi numeros habent, ſpiritum ſuſtinentes. Verſum in oratione fieri, multo fœdiſſimum eſt, totum: ſicut etiam in parte deforme: vtiq; ſi pars poſterior in clauſula deprehēdatur, aut rurſus prior in ingreſſu. Nam quod contra etiam ſæpius decet, quia & cludit interim optimè prima pars verſus, dum intra paucas ſyllabas præcipuè ſenarij atque octonarij. In Aphrica fuiſſe. initium ſenarij eſt, primum pro Q. Ligario caput cludit: eſſe videatur. Nam nimis frequens octonarium inchoat. T. Liuius hexametro exordio cœpit. Facturus ne operæpretium ſim. Nam ita edidit. Sed initia initijs non conueniunt: nec clauſulæ clauſulis. Non minore cura vitandum eſt, quicquid ἔυρυθμὸν, id eſt numeroſum eſt: quale apud

Media quid artis poſtulent.

Saluſtiũ. Falſo queritur de natura ſua. Quãuis enim iuncta ſit, tamen ſoluta videri debet oratio. ¶ Sed quia orationem oratoriam cõſtare pedibus dixi: aliqua de ijs quoque, quoniam nomina varia traduntur, conſtituendum eſt, quo quenq; appellemus: & quidem Ciceronem ſequar: nam is eminentiſſimos græcorũ eſt ſecutus, excepto q pedes mihi triſſyllabos non videtur excedere: quanquam ille pæone dochimoque, quorum prior in quatuor, ſecundus in quinq; excurrit, vtatur. Nec tamen ipſe diſſimulat quibuſdã numeros videri, non pedes: neq; immerito. Quicquid enim ſupra treis ſyllabas, id eſt ex pluribus pedibus. Ergo cum conſtent quatuor pedes binis, octo ternis: ſpondæum longis duabus: pyrrhichium, quem alij periambunt vocant, breuibus: Iambum breui longaq; huic contrarium è longa & breui, nos choreũ, non vt alij, trochæum nominemus. Ex ijs vero qui ternas ſyllabas habent, dactylum longa duabuſque breuibus: huic temporibus parem, ſed retroactum appellari conſtat anapæſton. Media inter longas breuis faciet amphimacrum: ſed frequentius eius nomen eſt creticus: longa inter breues amphibrachys. Duabus longis breuem ſequentibus Bacchius: totidem longis breuem præcedentibus huic contrarius palimbacchius erit. Tres breues trochæum, quem tribrachyn dici volunt: qui choreo trochæi nomen imponunt: totidem longæ moloſſum efficiunt. Horum pedum nullus non in orationem venit. Sed quo quiq; ſunt tempo-

Pedum ſyllabæ & nomina.

Creticus.

ribus pleniores,longiſq; ſyllabis magis ſtabi-les, hoc grauiorem faciunt orationem. Breues celerem ac mobilem. Vtrunq; locis vtile. nam & illud vbi opus eſt velocitate, tardum & ſegne: & hoc vbi pondus exigitur, præceps ac reſultans merito damnetur. Sit in hoc quoq; aliquid fortaſſe momenti, quòd & longis longiores, & breuibus ſunt breuiores ſyllabę: vt quãuis neq; plus duobus temporibus, neque vno minus habere videantur (ideoq; in metris omnes breues longæque inter ſe obſeſſæ ſunt pares) lateat tamen neſcio quid ſi quicquam ſuperſit aut deſit. Nam verſuum propria conditio eſt, ideoque in his quædam etiam communes. Veritas vero, quia patitur aquæ breuē eſſe vel longam vocalem cum eſt ſola, quàm cum eam conſonantes vna pluresve præcedunt: certe in dimenſione pedum, ſyllaba quæ eſt breuis inſequente alia vel breui, quæ tamen duas primas cõſonantes habeat, fit longa: vt, Agreſtem tenui muſam meditaris auena. Nam licet gre breuis, facit tamen longam a priorem. Dat igitur illi aliquid ex ſuo tempore. quomodo? niſi habeat plus quàm quæ breuiſſima, qualis ipſa eſſet detractis conſonantibus? nunc vnum tempus accommodat priori, & vnum accipit à ſequente: ita duæ natura breues, poſitione ſunt temporum quatuor. Miror autem in hac opinione doctiſſimos homines fuiſſe, vt alios pedes ita eligerent, vt alios damnarent: quaſi vllus eſſet quem non ſit neceſſe in oratione deprehendi. Licet enim pæonem ſequatur

Ephorus inuentum a Thraſymacho, probatum ab Ariſtotele: dactylumque vt temperatiores breuibus ac longis fugiat, moloſſon trochæũque, alterius tarditate, alterius celeritate damnata. Et herous qui eſt idem dactylus, Ariſtoteli amplior, iambus humanior videatur: trochæum vt nimis currentem damnet, eiq; chordacis nomen imponat, eademq; dicant Theodectes ac Theophraſtus: ſimilia poſt eos Halicarnaſens Dionyſius. Irrumpent etiam ad inuitos: nec ſemper illis heroo, aut pæone ſuo: quem, quia verſus raro facit, maxime laudant, vti licebit. Vt ſint tamen alijs alij crebriores, non verba facient: quæ neque augeri, nec minui, nec ſicut modulatione produci, aut corripi poſſint, ſed tranſmutatio & collocatio. Pleriq; enim ex commiſſuris eorum, vel diuiſione fiunt pedes: quo fit vt ijſdem verbis alij atque alij verſus fiant: vt memini quendam nõ ignobilem poetam ita luſiſſe: Aſtra tenet cælũ, mare claſſes, area meſſem. Hic retrorſum fit ſotadeus. Itemque ſotadeo adiuret retro trimetros, Caput exeruit mobile pinus repetita. Miſcendi ergo ſunt, curandumque vt ſint plures qui placeant, & circunfuſi bonis deteriores lateant. Nec vero in literis ſyllabiſq; natura mutatur: ſed refert quæ cum qua optime coeat. Plurimum igitur authoritatis (vt dixi) & ponderis habent longæ: celeritatis breues: quę ſi miſcentur quibuſdam longis, currunt: ſi continuantur, exultant. Acres, quæ ex breuibus ad longas inſurgunt: leniores, quæ a longis in breues

deſcendunt. Optime incipitur a longis, rectè aliquando a breuibus: vt, Nouum crimē C. Cæſar. leuius, vt, Animaduerti iudices. Sed pro Cluentio recte, ꝙ initium eius partitioni ſimile eſt, quæ celeritate gaudet. Clauſula quoq; è longis firmiſſima eſt: ſed cludent & breues, quanuis habeatur indifferens vltima. Neque enim ego ignoro in fine pro longa accipi breuem: ꝙ videtur aliquid vacantis temporis, ex eo quod inſequitur, accedere: aures tamen conſulens meas, intelligo multum referre, vtrum ne longa ſit quæ cludit, an pro longa. Neque enim tam plenum eſt dicere, incipientem timere, quàm illud, ausus eſt confiteri. Atqui ſi nihil refert, breuis an longa ſit vltima: idem pes erit. Verum, neſcio quomodo, ſedebit hoc, illud ſubſiſtet: quo moti quidam, longę vltimæ tria tempora dederunt, vt illud tempus quod breuis ex longa accipit, huic quoq; accederet. Nec ſolum refert quis claudat: ſed quis antecedat. Retrorſum autem neque plus tribus: iiq; ſi non ternas ſyllabas habebunt, repetēdi ſunt: (Abſit tamen poetica obſeruatio) neq; minus duobus: alioquin pes erit, non numerus. Poteſt tamen vel vnus eſſe dichoreus, ſi vnus eſt qui conſtet ex duobus choreis. Itemque pæon qui eſt ex choreo & pyrrhichio, quem aptum initijs putant: vel contrà qui eſt e tribus breuibus & longa, cui clauſulam aſſignant: de quibus fere duobus ſcriptores huius artis loquūtur. Alij omnes quotcunq; ſint temporum, quæ ad rationem pertineant, pæonas appellāt. Eſt & do-

De pedibus clauſulę lex

chimus qui fit ex bacchio & iambo, vel iam-
bo & cretico, ſtabilis in clauſulis & ſeuerus.
Spondæus quoque, quo plurimum eſt Demo-
ſthenes vſus, moram per ſe ſemper habet. opti
me præcedet eum creticus, vt in hoc. De quo
ego nihil dicam, niſi depellendi criminis cauſa.

Referre in vno an in pluribus verbis ijdem ſint pedes.

¶ Illud eſt quod ſupra dixi, multũ referre, vno-
ne verbo pedes ſint duo comprehenſi, an vter-
que liber. Sic enim fit forte, criminis cauſa: mol
le, archipiratæ: mollius, ſi tribrachys pręcedat,
facilitates, temeritates. Eſt enim quoddam in
ipſa diuiſione verborum latens tempus, vt in
pentametri medio ſpondæo, qui niſi alterius
verbi fine, alterius initio conſtet, verſum non ef
ficit. Poteſt etiam ſi minus bene præponi ana
pęſtus, Muliere non ſolum nobili, verumetiam
nota. Tum anapæſtus & creticus, Iambus quo-
q; qui eſt vtroque ſyllaba minor, pręcedet enim
tres longas breuis. Sed & ſpondæus iambo re-
cte pręponitur, Iiſdem in armis fui. Tum ſpon-
dæus & bacchius, ſic enim fiet in vltimis dochi
mus, In armis fui. Ex ijs quę ſupra probaui, ap-
paret moloſſon quoque clauſulæ conuenire,
dum habeat ex quocunque pede ante ſe bre-
uem. Illud ſcimus, vbicunque ſunt, eſſe pro no-
bis. Minus grauis erit ſpondęus præcedente be
ne Pyrrhichio: vt, iudicij Iuniani: & adhuc pe-
ius priore pæone, vt, Brute dubitaui: niſi po-
tius hoc eſſe velimus dactylum & bacchium.
Duo ſpondęi non fere coniungi patiuntur, quę
in verſu quoque notabilis clauſula eſt, niſi cum
id fieri poteſt ex tribus quaſi membris. Cur de

profugis noſtris copias comparatis contra nos? vna ſyllaba, duabus, vna. Ne Dactylus quidem Spondæo bene præponitur: quia finem verſus damnamus in fine orationis. Bacchius & cludit, & ſibi iungitur. Venenum timeres. Vitat choreum, ſpondęum autem amat: vt non venena timeres, ſed virus timeres. Contrario quoque quis cludet, niſi ſi vltimam longam eſſe volumus? optiméque habebit ante ſe moloſſon: vt, & ſpinis reſperſum. aut bacchium, quod hic poteſt, nos poſſemus. Sed verius erit claudere choreum præcedenti Spondæo. Nam hic potius eſt numerus, nos poſſemus: &, Romanus ſum. Claudet & dichoreus, ſi pes idem ſibiipſi iungetur, quo Aſiani ſunt vſi plurimum. Cuius exemplum Cicero ponit. Patris dictum ſapiēs temeritas filij comprobauit. Accipiet ante ſe choreus & pyrrhichium. Omnes prope ciues, virtute, gloria, dignitate, ſuperabat. Claudet & dactylus, niſi eum obſeruatio vltimæ creticum facit, vt muliercula nix9 in littore. Habebit ante bene creticum & iambum, ſpondæum male, peius choreum. Cludit amphibrachys. Q. Ligarium in Africa fuiſſe. ſi non eum malumus eſſe bacchium. Non optimus eſt trochæus, ſi vltima eſt breuis. quod certe ſit neceſſe eſt. alioqui quomodo cludet qui placet pleriſque dichoreus? Illa obſeruatione ex trochæo fit anapæſtus. Idem Trochæus præcedente longa fit pæon: quale eſt, ſi potero: &, dixit hoc Cicero, obſtat inuidia. Sed hæc initijs deerunt. Cludit & pyrrhichius choreo prçcedente. Nam ſic

pæon eſt. Omnes *ij* qui in breues excidunt, minus erunt ſtabiles, nec alibi ferè ſatis apti, quàm vbi curſus orationis exigitur, & clauſulis non interſiſtitur. Creticus eſt initijs optimus. Quod precatus a dijs immortalibus ſum. & clauſulis, In conſpectu populi Romani vomere poſtridie. Apparet vero quàm bene eum præcedant vel anapæſtus, vel ille qui videtur fini aptior pæon. Sed & ſe ipſe ſequitur. Seruare quàm plurimos, ſic melius quàm choreo præcedente. Quis non turpe duceret ſi vltima breuis, penultima longa ſit? Sed fingamus: ſic, non turpes ducerent. Sed hic eſt illud inane quod dixi. Paululũ enim moræ damus inter vltimum atque proximum verbum, & turpe illud interuallo quodam producimus: alioqui ſit exultantiſſimum, & trimetri finis. Quis non turpe duceret? ſicut illud, ore ſpiritum excipere liceret, ſi iungas, laſciui carminis eſt: ſed interpunctis quibuſdam, & tribus quaſi initijs fit plenũ autoritatis. Nec ego cum præcedentes pedes poſui, legem dedi, ne alij eſſent: ſed quid fere accideret, quod in præſentia videretur optimum oſtendi. Et quidem optime eſt ſibi iunctus anapæſtus: vt qui ſit pentametri finis vel rhythmos: qui nomen ab eo traxit. Nam vbi libido dominatur, innocentiæ leue præſidium eſt. Nam ſynalœphe facit vt vltimæ ſyllabæ pro vna ſonent. Mollior fiet præcedente ſpondæo vel bacchio: vt ſi mutes idem, leue innocentiæ præſidium eſt. Non me capit (vt a magnis viris diſſentiam) pæon qui eſt ex tribus breui-

Primus ini tijs aptus.

bus & longa.Nam eſt ipſe vna plus breui ana≈
pæſto,facilitas & agilitas:quod quid ita placu≈
erit ijs,non video:niſi quòd illum fere probaue≈
rint ,quibus loquendi magis quàm orandi ſtu≈
dium fuit. Nã & ante ſe breuibus gaudet pyr≈
rhichio , & choreo:mea vel noſtra facilitas. At
præcedente ſpondæo,tum plane finis eſt trime
tri.Cum ſit per ſe quoq; ei cõtrarius,principijs
merito laudatur.Nam & primam ſtabilem,&
tres celeres habet,tamen hoc quoq; meliores a≈
lios puto. ¶ Totus vero hic locus non ideo tra≈
ctatur a nobis,vt oratio quæ ferri debet ac flue
re, dimetiendis pedibus, ac perpendendis ſyl≈
labis conſeneſcat.Nam id tum miſeri, tum in
minimis occupati eſt.Neque enim qui ſe totum
in hac cura conſumpſerit, potioribus vacabit:
ſiquidem relicto rerum pondere,ac nitore con≈
tempto,teſſerulas(vt ait Lucilius)ſtruet,& ver
miculatas inter ſe lexeis committet.Nonne er≈
go refrigeretur ſic calor, & impetus pereat,vt
equorum curſum qui dirigit,minuit: & paſſus
qui æquat, curſum frangit, quaſi numeri non
fuerint in compoſitione deprehenſi?ſic vt poe≈
ma nemo dubitauerit perito quodam initio fu≈
ſum,& aurium menſura,& ſimiliter decurren≈
tium ſpatiorum obſeruatione eſſe generatum,
mox in eo repertos pedes . Satis igitur in hoc
nos componit multa ſcribendi exercitatio,vt
ex tempore etiam ſimilia fundamus.Neq; ve≈
ro tam ſunt intuendi pedes,quàm vniuerſa cõ≈
prehenſio : vt verſum facientes , totum illum
decurſum non ſex vel quinq; partes,ex quibus

conſtat verſus, aſpiciunt. Antè enim carmen ortum eſt, quàm obſeruatio carminis. Indeq; illud, Fauni vateſq; canebant. Ergo quem in poemate locum habet verſificatio, eum in oratione compoſitio. Optime autem de illa iudicant aures, quæ & plena ſentiunt, & parum expleta deſiderant, & fragoſis offenduntur, & lenibus mulcentur, & contortis excitantur, & ſtabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia & nimia faſtidiunt. Ideoque docti rationem componendi intelligunt, & indocti voluptatem. Quædam vero tradi arte non poſſunt. Mutandus eſt caſus, ſi durius is quo cœperamus feratur: num in quem tranſeamus ex quo, præcipi poteſt? Figuræ laboranti etiam compoſitioni variatæ ſæpe ſuccurrunt. Quæ? cum orationis, tum etiam ſententiæ: num præſcriptum eius rei vllum eſt? Occaſionibus vtendum, & cum re præſenti deliberandum. Enimuero ſpatia ipſa, quæ in hac quidem parte plurimum valent, quod poſſunt, niſi aurium habere iudicium? Cur alia paucioribus verbis ſatis plena, vel nimium, alia pluribus breuia & abſciſſa ſunt? Cur in circunductionibus etiam cum ſenſus finitus eſt, aliquid tamen loci vacare videatur? Neminem veſtrum ignorare arbitror iudices, hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionē Populi Romani fuiſſe. Cur hoſce potius quàm hos? Neq; enim erat aſperum. Rationem fortaſſe non reddam, ſentiam eſſe melius. Cur nō ſatis ſit, ſermonem vulgi fuiſſe? Compoſitio enim patiebatur. Ignorabam, ſed

ita vt audio, hoc animus accipit plenum ſine hac geminatione non eſſe. Ad ſenſum igitur referenda ſunt. Nequis forte quid ſeuerum, quid iucundum ſit, intelligere: facias quidem natura duce melius quàm arte, ſed naturæ ipſi ars inerit. Illud prorſus oratoris, ſcire vbi quoque genere compoſitionis ſit vtendum. Ea duplex obſeruatio, altera quæ ad pedes refertur, altera quæ ad comprehenſiones, quæ efficiuntur ex pedibus. & de ijs prius. Diximus igitur eſſe inciſa membra circuitus. Inciſum (quantum mea fert opinio) erit ſenſus non expleto numero concluſus, pleriſque pars membri. Tale eſt enim quo Cicero vtitur: Domus tibi deerat, at habebas. Pecunia ſuperabat, at egebas. Fiunt autem etiam ſingulis verbis inciſa: vt, Diximus, teſtes dare volumus. Inciſum eſt, diximus. Membrum autem eſt ſenſus numeris concluſus, ſed a toto corpore abruptus, & per ſe nihil efficiens. Id enim, ô callidos homines, perfectum eſt: at remotum a cæteris vim non habet, vt per ſe manus & pes & caput, & ô rem excogitaram! Quando ergo incipit corpus eſſe? cum venit extrema concluſio. Quem quæſo noſtrum fefellit, id vos ita eſſe facturos? quam Cicero breuiſſimam putat. Itaque ferè inciſa & membra mixta ſunt, & concluſionem vtique deſiderant. Periodo plurima nomina dat Cicero, ambitum, circuitum, comprehenſionem, continuationem, circunſcriptionem. Genera eius duo ſunt: alterum ſimplex, cum ſenſus vnus longiore ambitu circunducitur, alte-

Inciſum.

Membrum.

Periodos, circuituſve.

tum quod conſtat membris,& inciſis:quæ plu res ſenſus habent. Aderat ianitor carceris, & carnifex prætoris, & reliqua. ¶Habet periodos membra minimum duo. Medius numerus videtur quatuor: ſed recipit frequenter & plura. Modus ei a Cicerone, aut quatuor ſenarijs verſibus, aut ipſius ſpiritus modo terminatur. Præſtare debet, vt ſenſum concludat:ſit aperta,vt intelligi poſſit:non immodica,vt memoria contineri. Membrum lõgius iuſto, tardum: breuius,ſtabile eſt. Vbicunq; acriter erit & inſtanter pugnaciterque dicendum: membratim cæſimque dicemus. Nam hoc in oratione plurimum valet: adeoque rebus accommodanda compoſitio,vt aſperis aſperos etiam numeros adhiberi oporteat,& cum dicente æque audientem inhorreſcere. Membratim plerunque narrabimus: aut ipſas periodos maioribus interuallis, & velut laxioribus nodis reſoluemus: exceptis quæ non docendi gratia, ſed ornandi narrantur, vt in Verrem Proſerpinæ raptus. Hæc enim lenis & fluens contextus decet. Periodos apta proœmijs maiorum cauſarum:vbi ſollicitudine,commendatione,miſeratione res eget. Item communibus locis,& in omni amplificatione:ſed poſcitur tum auſtera,ſi accuſes:tum fuſa,ſi laudes. Multum & in epilogis pollet. Totum autem adhibendum eſt,quo ſit amplius compoſitionis genus: cum iudex non ſolum rem tenet,ſed etiam captus eſt oratione,& ſe credit actori, & voluptate iam ducitur. Hiſtoria non tam finitos numeros,quàm

Periodi ratio.

Mẽbri ratio

Hiſtoriæ cõtextus.

orbem quendam cõtextumq; deſiderat. Nanq; omnia eius membra connexa ſunt: quoniam lubrica eſt ac fluit: vt homines qui manibus inuicem apprehenſis gradum firmant, continẽt, & continentur. Demonſtratiuum genus omne fuſiores habet liberioreſque numeros. Iudiciale & concionale, vt materia varium eſt, ſic etiam ipſa collocatione verborum. Vbi iam nobis pars ex duabus (quas modo fecimus) ſecunda tractanda eſt. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia ſublimius, alia pugnacius, alia gratius, alia grauius eſſe dicenda? Grauibus, ſublimibus, ornatis, longas magis ſyllabas conuenire? Ita vt lenia ſpatium, ſublimia & ornata claritatem quoque vocum poſcant potius quàm his contraria. Magis laudarem, breuibus argumenta, partitiones, iocos, & quicquid eſt ſermoni magis ſimile. Itaq; cõponemus proœmium varie, atq; vt ſenſus eius poſtulabit. Neq; enim acceſſerim Celſo, qui vnam quandam huic parti formam dedit: & optimam cõpoſitionem eſſe proœmij: vt apud Aſinium, dixit. Si Cęſar ex omnibus mortalibus, qui ſint, ac fuerint: poſſet huic cauſæ diſceptator legi, non quiſquam te potius optandus nobis fuit. Non quia negem hoc bene eſſe compoſitum: ſed quia legem hanc componendi in omnibus principijs recuſem. Nam iudicis animus varie præparatur: tum miſerabiles eſſe volumus, tum modeſti, tum acres, tum graues, tum blandi, tum flectere, tum ad diligentiam hortari. Hæc vt ſunt diuerſa natura, diſſimilem com-

Demonſtratiui generis numeri, Iudicialis & concionalis.

ponendi quoque rationem deſiderant. An ſimi-libus Cicero vſus eſt numeris in exordio pro Milone, pro Cluentio, pro Ligario? ¶ Narratio

Narrationis pedes.

ferè tardiores, atq; (vt ſic dixerim) modeſtiores deſiderat pedes, & nominib9 maximè mixtos. Nam & verbis vt ſæpius preſſa eſt, ita interim inſurgit: ſed docere & infigere animis res ſemper cupit: quod minime feſtinantium opus eſt. Ac mihi videtur tota narratio conſtare longioribus membris, breuioribus periodis. Argu-

Argumentorum.

menta acria, & citata pedibus quoque ad hanc naturam accommodatis vtentur. Nondum enim ita vt trochæis, quæ celeria quidem, ſed ſine viribus ſunt. Verum quanuis ſint breuibus longiſque mixta, non tamen plures longas quàm breues habentia. Illa ſublimia, quę ſpatioſas claraſque voces habent, amant amplitudinem: dactyli quoq; ac pæonis, etiam ſi maiori ex parte ſyllabis breuibus, temporibus tamen ſatis pleni. Aſpera contrà, iambis maxime concitantur: non ſolum quòd ſint è duabus modo ſyllabis, eóque frequentiorem quaſi pulſum habent, quę res lenitati contraria eſt: ſed etiam quòd omnibus partibus inſurgunt, & à breuibus in longas nituntur & creſcunt. Ideoque meliores choreis, qui a longis in breues cadunt. Summiſſa, qualia in epilogis, lenta & ipſa: ſed minus exclamantes exigunt. Vult eſſe Celſus aliquã & ſuperiorẽ cõpoſitionem: quã ſi quidem ſciremus, doceremus: ſed ſit neceſſe eſt tarda & ſupina. Verũ niſi ex verbis atque ſententijs per ſeſe id quæritur, ſatis

odioſa eſſe non poterit. ¶Denique, vt ſemel finiam, ſic ferè componendum, quo modo pronunciandum erit. An non in prooemijs plerunque ſummiſſi, niſi cum in accuſatione concitandus eſt iudex, aut aliqua indignatione complendus? In narratione pleni atque expreſſi? In argumentis citati, atque ipſo etiam motu celeres ſumus? vt in iocis ac deſcriptionibus fuſi ac fluentes, in epilogis plerunqne deiecti & infracti? Adque corporis quoque motus ſua quędam tempora, & ad ſigna pedum non minus ſaltationi, quàm modulationibus adhibet muſica ratio numeros. Quid? non vox & actus accommodatur naturæ ipſarum de quibus dicimus rerum? Quo minus id mirum in pedibus orationis, cum debeant ſublimia ingredi: lenia duci: acria currere: delicata fluere. Itaque vbi eſt neceſſe, affectamus etiam tumorem, qui ſpondæis atque iambis maxime continetur. Hyperoargus ſceptra mihi liquit Pelops. At ille comicus æque ſenarius, quem trochaicum vocant pluribus choreis: qui trochæi ab alijs dicuntur. Pyrrhichius quidem decurrit: ſed quantum celeritatis habet, tãtum grauitatis amittit. Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem? Aſpere vero & male dicunt. Etiam in carmine iambi graſſantur. Quis hoc poteſt videre? quis poteſt pati? niſi impudicus & vorax & aleo? In vniuerſum autem, ſi ſit neceſſe, duram potius atque aſperam compoſitionẽ malim eſſe, quàm effœminatam & eneruem: qualis apud multos, & quotidie magis laſciuimus, Sybaritarum

modis ſaltitantes. At ne tam bona quidem vlla erit, vt debeat eſſe continua: & in eoſdē ſemper pedes ire. Nam & verſificādi genus eſt vnā legem omnibus ſermonibus dare: & id cum manifeſta affectatio eſt: cuius rei maxime cauenda ſuſpicio eſt: tum etiam tædium ex ſimilitudine ac ſatietatem creat: quodque eſt dulcius, magis perdit amittitque & fidem & affectus, motuſque omnes, qui eſt in hac cura deprehenſus. Nec poteſt ei credere, aut propter eum dolere, & iraſci iudex, cui putat hoc vacare. Ideoq; vincta quædam quaſi ſoluenda de induſtria ſunt: quædam ita maximi laboris, ne laborata videantur. Sed neque longioribus quàm oportet hyberbatis compoſitioni ſeruiamus: ne quæ eius gratia fecerimus, propter eam feciſſe videamur. Et certe nullum aptum atque idoneum verbum prætermittemus gratia lenitatis. Neque enim erit vllum tam difficile, quod non commode inſeri poſſit: niſi quòd in euitandis eiuſmodi verbis non decorem compoſitionis quærimus, ſed facilitatem. Non tamen mirabor Latinos magis indulſiſſe compoſitioni, quàm Atticos: quanuis minus in verbis habeant varietatis & gratiæ. Nec vitium dixerim, ſi Cicero a Demoſthene paululum in hac parte deſciuit. Sed quæ ſit differētia noſtri græcique ſermonis, explicabit ſummus liber. Compoſitio (nam finem imponere egreſſo deſtinatum modum volumini feſtino) debet eſſe honeſta, iucunda, varia. Eius tres partes: ordo, coniūctio, numerus. Ratio in adiectione, detractio-

Compoſitio

ne,mutatione. Vſus pro natura rerum quas dicimus. Cura magna: vt ſentiendi atque loquendi, prior ſit diſſimulatio curæ præcipua: vt numeri ſponte fluxiſſe, non arceſſiti & coacti eſſe videantur.

FINIS.

1955 634

# Candido Lectori S.

Ex ſentẽtia doctiſſimorum hominum cæteros libros omiſi huic artis rhetorices compendio adiũgere: voluiq; illos eſſe integros, donec vel maius mihi ociũ daretur, vel his primis inſtituta præceptis adoleſcentia, quam rudem adhuc & literarum expertem erudiẽdam ſuſcepi, ad maiora illa intelligenda eſſet inſtructior. Interea hoc, quãtulumcunque eſt, fruere pro voto: atq; eum ama, per quem aliquis labor tibi eſt ademptus. Vale.

6423-24